



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus**

Complectens Julium, Augustum, Septembrem


**Nepveu, François**

**Monachii, 1709**

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60520](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60520)







LIII


7.

Th. 4505.





















COGITATIONES,

*Sive*

CONSIDERATIONES  
CHRISTIANÆ.

Pro singulis anni diebus.

AUTHORE

R. P. FRANCISCO NEPVEU  
SOCIETATIS JESU,  
Latinæ redditæ.

A

P. ANDREA LEUKART  
Ejusdem Societatis Sacerdote.

TRIMESTRE TERTIUM.

*Complectens*

Julium. Augustum. Septembrem.

*Cum gratia, & Privil. Sac. Cæsar. Majest.*

*Permissuque Superiorum.*

*Collegii Sacerd. Univ. Paderbornæ ab 1710.*  
MONACHII,

Sumptibus JOANNIS JACOBI REMY Bibliopolæ,

Typis Mathiæ Riedl, Anno M. DCC. IX.



COGITATIONES

257

CONSIDERATIONES  
CHRISTIANAE

Pro Augustis anni diebus

W U T H O R E

R. P. FRANCISCO KEEVU

SOCIETATIS IESU

1 anno reddidit

E. ANDREA I. BUKART

Typis Societatis Iesu

TRIMESTRE TERTIUM

Cogitationes

Julianus Augustinus Sepertmbrum

Composita E. P. von Jac. Casar. Mayg.


Transmissa in typographiam  
Societatis Iesu in Paderborna die 17. Febr.

MDCCLXXII

2. Impensis Jo. Neumann, Typographi

Typis Societatis Iesu, Anno M. DCCLXXII





I N D E X

CAPITUM  
Hoc tertio Volumine  
contentorum.

Julius.

- Dies 1.* De fine hominis.
- Dies 2.* De Visitatione Beatissimæ Virginis.
- Dies 3.* De medijs salutis.
- Dies 4.* De morte
- Dies 5.* De iudicio.
- Dies 6.* De pœnitentia damnatorum.
- Dies 7.* De gravitate peccati ob eius circumstantias.
- Dies 8.* De modo cognoscendi, & impugnandi affectum dominantem.



*Index*

- Dies 9.* De superbia.  
*Dies 10.* De Hypocrisi.  
*Dies 11.* De relapsu in peccatum.  
*Dies 12.* De tentatione.  
*Dies 13.* De remedijs avaritiæ.  
*Dies 14.* De perfectione adionum.  
*Dies 15.* De necessitate Meditationis, sive considerationis.  
*Dies 16.* De Prædestinatione.  
*Dies 17.* De præcepto Eleemosynæ.  
*Dies 18.* De statu languoris in vita spirituali.  
*Dies 19.* De prærogativis è Christi imitatione resultantibus.  
*Dies 20.* De necessitate crucem suam portandi.  
*Dies 21.* De misericordia DEI peccatorem quærentis.  
*Dies 22.* Conversio S. Mariæ Magdalænæ exemplum est, divinæ gratiæ perfectè respondendi.

*Dies*



### *Capitulum.*

- Dies 23.* De miseria, & corruptela hominis.  
*Dies 24.* De exuendo in mundum affectu.  
*Dies 25.* De praxi mortificationis Christianæ.  
*Dies 26.* De obedientia.  
*Dies 27.* De confidentia in providentia divina.  
*Dies 28.* De Paradiso.  
*Dies 29.* De Amore JESU Christi.  
*Dies 30.* De incomprehensibilitate DEI.  
*Dies 31.* De zelo gloriæ divinæ.

### *Augustus.*

- Dies 1.* Deum unum existere.  
*Dies 2.* Veram aliquam religionem esse.  
*Dies 3.* Religionem Catholicam solam esse veram.



*Index*


- Dies 4.* Nemo servire Deo simul;  
& mundo potest.
- Dies 5.* De fine hominis.
- Dies 6.* De Mysterio Transfigura-  
tionis.
- Dies 7.* De salutis desiderio.
- Dies 8.* De Morte.
- Dies 9.* De pœnitentia.
- Dies 10.* De timore judiciorum  
DEI.
- Dies 11.* De remedijs contra pec-  
catum libidinis.
- Dies 12.* De fuga occasionum.
- Dies 13.* De peccato veniali.
- Dies 14.* De mendacio.
- Dies 15.* De Assumptione Beatissi-  
mæ Virginis.
- Dies 16.* De recto usu bonorum.
- Dies 17.* De necessitate oratio-  
nis.
- Dies 18.* De necessitate secun-  
dum regulam vivendi.
- Dies 19.* De modo diem christia-  
no more transigendi.

*Dies*



*Capitulum.*

- Dies 20.* De humilitate.  
*Dies 21.* De vera, & falsa pietate.  
*Dies 22.* De mansuetudine.  
*Dies 23.* De ratione morbos sapienter perferendi.  
*Dies 24.* De medijs acquirendi, vel conservandi pacem animæ.  
*Dies 25.* De obligatione, quæ Christianis incumbit perfectionem sectandi.  
*Dies 26.* De obligatione Christum imitandi.  
*Dies 27.* De collectione animi.  
*Dies 28.* De abusu gratiarum.  
*Dies 29.* De compositione voluntatis nostræ ad divinam.  
*Dies 30.* De amore JESU Christi.  
*Dies 31.* De independentia DEI.





September.

- Dies 1.* De fervore in cultu divi-  
no.
- Dies 2.* De Fide.
- Dies 3.* Facilius est Deo ; quàm  
mundo satisfacere.
- Dies 4.* Peccatum mortale est ma-  
lum infinitum.
- Dies 5.* De contritione.
- Dies 6.* De morte inopinata.
- Dies 7.* De iudicio extremo.
- Dies 8.* De Nativitate Beatissimæ  
Virginis.
- Dies 9.* De incertitudine salutis.
- Dies 10.* Morum emendatio non  
differenda.
- Dies 11.* De iudicio temerario.
- Dies 12.* De scandalo , seu per-  
nicioso exemplo.
- Dies 13.* Quanti momenti sit sta-  
tum ingredi , ad quem vocati su-  
mus.

*Dies*



*Capitulum.*

- Dies 14.* De modo cognoscendi  
vocationem divinam ad certum  
statum.
- Dies 15.* Causæ, & remedia tempo-  
ris.
- Dies 16.* De misericordia DEI  
peccatorem ad pœnitentiã re-  
cipientis.
- Dies 17.* De Spiritu pœnitentiæ.
- Dies 18.* De amore deliciarum.
- Dies 19.* De defectibus Christia-  
no in conversatione vitandis.
- Dies 20.* De oratione matuti-  
na.
- Dies 21.* De praxi imitandi Chri-  
stum.
- Dies 22.* De patientia in adver-  
sis.
- Dies 23.* De charitate erga pro-  
ximum.
- Dies 24.* De paupertate.
- Dies 25.* De sacrificio Missæ.
- Dies 26.* De præparatione ad sa-  
crã Communionem.



*Capitulum.*

**Dies 27.** De Confidentia in meritis JESU Christi.

**Dies 28.** De præsentia DEI.

**Dies 29.** JESUS Christus est perfectus amicus.

**Dies 30.** De Æternitate DEI.

**F I N I S**  
**Indicis Capitulum.**



CON-





Julius,

CONSIDERATIONES  
CHRISTIANÆ.

*pro singulis Anni diebus.*

J U L I U S.

DIES I.

De Fine Hominis.

*Minus exigit Deus ad sibi servien-  
dum, quàm mundus.*

I.



Eus, ut sibi serviamus, pa-  
rùm à nobis exigit; ut  
proin dici possit æternam  
salutem gratis dare nobis  
velle. *pro nihilo salvos fa-  
cies illos.* Quid tota die

*p/al. 53.*

à nobis requirit? unam, alteramve horam  
ad summum; cæteras nobis relinquit ad  
necessitates, ad negotia, ad quietem no-  
stram, imò ad animi etiam nostri relaxa-  
tiones. E bonis nostris non exigit, nisi  
quod superfluum est, in pauperum subsi-  
dium

A

dium



**Julius.**

dium, qui ipsius membra sunt. Quod attinet ad actiones, totum earum commodum, unaque meritum relinquit nobis, solâ gloriâ sibi servatâ. Ex oblectamentis nostris ea sola immolari sibi desiderat, quæ nobis vel noxia, vel periculosa forent, reliqua nobis permittit. E toto homine quid petit? ejus cor, & amorem: *Ama, & fac, quod vis.* Cedò: petirne nimium? vel potiùs: an non tam parùmâ nobis petendo, nos confundit?

**S. Augustin.**

II. Mundus tam benignè nobiscum non agit. Quid enim is non postulat? Virum intuere, qui favorem mundi capere, & ambitionem suam satiare cupit, quibus curis, quæis molestiis, quæis timoribus, quæis inquietudinibus, id ei non constat? tempus, quietem, sanitatem, oblectationes, bona, & non rarò conscientiam, animam, & æternam felicitatem immolare debet. Intuere fæminâ, quæ placere mundo cupit. Ad hoc obtinendum, animum, corpus, propensionem, libertatem suam torquere, seque tot hominibus subijcere cogitur, quot eorum sunt, quibus placere desiderat, & perpetuam servitutem servire, spe, nescio, cujus falsæ libertatis. Dies ipsi sat longi nō sunt, ad se ornandâ, ut mundo placeat. Bona maxima vix ei tot sum.



sumptus impeditare queunt; quot facere Julii  
eam oportet: robustissima sanitas vix suf-  
ficit tormentis; quibus se subijcit perfe-  
rendis. Amabò te: an non multum exi-  
git mundus?

III. Ah! Deus parùm exigit, & omnia  
ei negantur; mundus omnia exigit; & ni-  
hilei negatur, quanta fascinatio! & in-  
terea quid mundus promittit? Bona, quo-  
rum desiderium nos cruciat; quorum pos-  
sessio nos inquietat, quorum jactura nos  
in desperationem conijcit, bona vana &  
brevia, levia, bona, quæ non rarò fune-  
stiora nobis sunt, quàm mala gravissima.  
Bona, quæ nos meliores non reddunt; ac  
sæpè deteriores; & nunquam perfectè con-  
tentos. Bona, quæ brevì nobis mors e-  
ripier. En omnia, quæ mundus pollicetur,  
at non dat, & dare sæpè non potest; & ni-  
hilominus omnia ei conceduntur. Deus  
felicitatem nobis promittit æternam; &  
omnia ei negantur. Si dein Deus cœlo  
nos excludat, an nobis injuriam faciet?  
an jure conqueri poterimus? an etiam ad  
felicitatem æternam aspirare audebimus?

*Erubescere, quòd minus pro Deo facias, quàm  
pro mundo, minus ad salutem æternam conse-  
quendam, quàm te perdendum. Mancipia mundi,  
& diaboli te instruunt, & damnant.*



Iulius.

Et illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.  
*1. Cor. 9. v. 25.*

Si tantum terrenæ gloriæ licet, ut sub præmio laudis humanæ tormenta contemnunt, modicæ sunt passiones ad consecutionem gloriæ Cælestis. *Tertull.*

## DIES II.

De Visitatione Beatæ Mariæ  
Virginis.

I.

**B**Eatissima Virgo Mater Dei; renuntiat; & ipsa summo sibi honori ducit, ancillam se Domini compellari: *Ecce ancilla Domini.* Ancillam se alijs exhibere desiderat orbis vniuersi Regina. Ob dignitatem Matris Dei jus habebat, obsequia exigendi non solum ab Elisabetha; sed & ab omnibus hominibus; & ipsa obsequijs illam prævertit; facta esse non videtur omnium creaturarum prima, nisi ut infra omnes sese demitteret. Quanta humilitas! quantopere hæc superbiam tuam, & in tuendo honore anxietatem condemnat! Ut primùm didicit, cognatam suam Elisabeth operâ suâ indigere, nihil morata, nec



nec prægatione, nec ætate, nec teneriori  
corporis habitudine, nec longitudine, aut  
difficultate itineris, aliud non cogitat,  
quàm quid boni illi præstare possit. Agi-  
tur de Sanctimonia alicuj animæ infunden-  
da; volat, non ambulat, amore alas ad-  
dente. Si quid utcunque parvum te mo-  
ratur, aut retardat, ubi agitur de obsequio  
proximis præstando, vel virtutis exemplo  
eisdem præbendo, an non inde oritur,  
quòd charitate, vel humilitate, vel utràque  
careas?

Julius.

Abijt in  
montana  
cum festina-  
tione Luc. 1.

39.

II. Elisabeth ob honorem à Marià sibi  
habitum obstupescit, unde hoc mihi, ut ve-  
niat Mater Domini mei ad me? humillima Vir-  
go ad improvisum dictum artonita, suam  
versans animo indignitatem, non cogitat,  
nisi de obsequijs præstandis, quæ ipsi cha-  
ritas, & humilitas sua, veluti debita sug-  
gerit; Elisabeth à laude Deiparæ cœpit, &  
Deipara sui ipsius oblita, non nisi de Do-  
mino laudando cogitat, Elisabeth Mariæ  
non nisi de ejus excellentijs loquitur, &  
Maria non nisi de vilitate sua differit.  
*Quia respexit humilitatem.* Si fateri cogi-  
tur, Deum in se magna operatum fuisse,  
contestatur simul, nihil sibi tribuendum,  
nisi rationem, ut vocant, subjecti, cui hæc  
collata snt; Deum verò manifestasse po-

Ibid.

Ibid.



*Considerationes Christianæ.*

*Julius*

rentiam suam , elevando creaturam tam imbecillem , qualis ipsa esset ; & si ab eo ditata fuerit , id factum , quod se pauperri- mam , & paupertatis suæ probè consciam invenerit. O colloquium stupendum ! colloquij hujus origo est charitas , Deus so- lus ipsius objectum ; humilitas , & mode- stia ejus sunt regula ; ædificatio proximi , & sanctitas animabus infundenda sunt fru- ctus. An omnia ista in tuis conversatio- nibus inveniuntur ? an in ijs de Deo lo- queris ? ferè nunquam. Si Deus in corde tuo foret , sæpiùs etiam in ore tuo versa- retur.

III. Simul , ac Maria locuta est , Ioanni Baptistæ collata est sanctitas. E peccato- re quasi momento Sanctissimus evadit , ver- ba Mariæ aliqua ex parte verbis in Sacra- mento usitatis erant æquiparabilia , & Ba- ptismi virtute pollebant ad delendam in ip- so , Adami posteris ingenitam labem , tri- buendamque Sanctimoniam infanti , qui materno adhuc latebat in utero. Christus voluit , ut Maria foret instrumentum , & , ut ita loquar , coadjutrix primæ Sanctita- tis , quam ipse in mundum delatus homini contulit. Ipsa tunc obijt munus me- diatricis , quod postmodum ad tantam suam gloriam , nostramque utilitatem e-

Xer-



Meruit. Filius ipsius indicare nobis voluit, Iulius, ipsam olim ad salutem nostram multum collaturam, utpote, quæ redemptionem nostram veluti pars causæ promotura esset, & potestatem habitura afferendi eis gratias, qui sibi supplices essent futuri. Amabò, si tibi gratia desit, nunquid inde oritur, quòd confidentia in eam te deficiat?

Cùm Maria tantum potestatis habuerit conferendæ Ioanni intra momentum sanctitatis, in statu, in quo necdum ejus capax erat, cur ad eum non confugis, ut tibi gratias ad obtinendam tibi sanctitatem necessarias obtineat?

Fecit mihi magna, qui potens est.

LUC. 1.

Studeamus nos ad ipsum per eam ascendere, qui per ipsam ad nos descendit. Bernard. Serm. 1, de Advent.

---

### DIES III.

#### De Medijs Salutis.

*Negotium salutis impossibile non est.*

I.

**N**Egotium salutis difficile quidem, sed non impossibile est; si difficile est, vim sibi inferre oportet; si verò impossi-

A 4

le



Iulius.

le non est, de ea desperandum non est. Si grandia superanda sunt obstacula, media adhuc potentiora suppetunt, quæ me juvent. Cùm Deus mihi præceptum imponat pro salute mea laborandi, injustus foret, nisi ad id præstandum suppeditaret media; & magis etiam injustus, si me puniret, quòd id non præstiterim. Deus sub pæna indignationis suæ incurrendæ me obligat, ad sperandam felicitatem à se mihi promissam; necessarium proin est, ut me viam doceat, quæ eò me perducatur, o- pémque eò pertingendi necessariam præ- ster. Possessio Dei futura est merces mea. Nemo, nisi Deus dare mihi Deum potest, adeoque necessum est, ut is mihi det gra- tias, quæ solæ jus ad hanc possessionem conferre mihi queant.

4 Reg. 6.

II. Oppugnandi sunt hostes potentes, & formidabiles, qui victoriam nobis difficilem reddunt. Verùm nos potentiores adhuc protectores habemus, qui eam nobis pollicentur, ejusdemque nos securos reddunt. Plures à parte nostra stant, dice- bat Elisæus servo suo ob hostium multitu- dinem terro, quàm ij sint, qui nos impu- gnant. Difficile quidem est Deo satisfacere, munus suum ritè obire, salutem æ- ternam obtinere: verùm, nunquid etiam dif-



difficile est, mundo satisfacere, cupiditates indomitas satiare, sempiterna supplicia in caput suum accersere? Reprobati ipsimet in inferno fatentur, se ambulasse vias difficiles, & asperas, ut eò pertingerent; se lassatos esse in via iniquitatis. An nimium à te exigitur, dum petitur, ut tantum pro Deo facias, quantum pro mundo fecisti? tantum ad salutem consequendam, quantum ad te dammandum? si tantum pro Deo faceres, quantum pro mundo fecisti, nã tu sanctus esses!

III. Sed denique, si salus adhuc in se difficilior esset, gratiã, quas Deus tibi offert, pretium sanguinis ipsius, quem in SS. Sacramentis tibi applicat, exemplum Hominis-Dei, quod tibi proponitur, pœna æterna, quæ tibi intentatur, si ad salutem tuam non labores; æterna felicitas, quæ tibi promittitur, si pro ea labores, cum potentia inciramenta, tum efficacia media ad omnes has difficultates superandas, hostesque omnes vincendos tibi subministrant. Rationes minùs validæ maxima superare obstacula te docent; ubi agitur de stabilienda tua fortuna, vel de cupiditatibus tuis satiandis. Ergone tum solum minimæ etiam difficultates, imò va-



Tulius.

næ imaginationes te conturbent, & terreant, ubi de salute tua agitur?

*Erubescere, quòd tam magnanimus, & fervens sis, ubi agitur de ratione mundo placendi, tuasque cupiditates explendi; tam verò timidus, & ignavus, ubi Deum oblectare, tuoque muneri satisfacere te oportet. Statue proin firmiter vitam tuam emendare.*

Noli timere: plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis. *4. Reg. 6. 16.*

Quales imperus habebas ad mundum, tales habebas ad artificem mundi. *Aug.*

## DIESIV.

## De Morte.

*Mors est finis temporis.*

## I.

**N**ihil vilius est tempore, si id consideretur, quatenus impenditur rebus caducis, quas continet, vel potiùs destruit, earumque diurnitatem metitur. In articulo mortis homo serius de rebus iudicium fete incipiet: *O mors, bonum est iudicium tuum.* Ubi cogitabit, tempus vitæ, quantumcunque diurnum, & felix id fuerit, effluxisse, & quod consequens est, sibi.

*Ecclesi. 41.  
v. 3.*



sibi esse, quasi nunquam fuisset, cum Julius.  
menti ipsius obversabitur æternitas, in  
quam hoc momento migrabit, eique o-  
stendet, quàm exiguam proportionem,  
comparationemque finita, & caduca cum  
æternis, & infinitis habeant: rumpent de-  
nique incantamentum, quo hactenus fa-  
scinari se passus est; & cum ipsius oculis  
subduxerint omnia bona temporaria, quæ  
ipsum fascinârant, illorum nihilum, unâ-  
que ipsius dementiam, qua res fluxas æter-  
nis præhabuit, ob oculos ponent. Fare;  
quosnam tunc animi sensus concipiet de  
tam cæca vivendi ratione? at quosnam  
modò etiam tu concipis?

II. Nihil pretiosius tempore, si id con-  
sideretur, quatenus ei succedit æternitas  
felix, vel infelix, quæ præmium, vel pæ-  
na est temporis bene, vel malè impensæ.  
Nullum est momentum, quo æterna fe-  
licitas comparari nequeat. quodnam igitur  
hujusmodi momenti pretium est? quan-  
tæ igitur nobis curæ bonus ejusdem usus  
esse debet? id modò non comprehendimus;  
comprehendemus tamen in morte; at serò  
nimis. Tunc omnium bonorum jactura,  
pluriùmque annorum pœnitentia redemif-  
se nos vellemus diem unicam, horam uni-  
cam, unicum hujus temporis momentum,  
quod



Iulius.

quod nunc unius delectationis amore elabi nobis sinimus. Sed id incassum optabimus. Infelix homo ex imo cordis sui secretam intelliget vocem, quæ in ipsum pronuntiabit terribilem hanc, irrevocabilem sententiam: *Tempus non erit amplius*; & quod consequens est, neque gratiæ, neque misericordiæ, nec pœnitentiæ amplius erit locus: omnia hæc cum tempore cessant. Ecce nunc non uteris illo, quod Deus tibi concedit, & de quo statuere potes, quod volueris.

Apo. 10.

III. Quanta erit hominis morientis confusio, quod tam parvi duxerit, tam malè impenderit tempus aded pretiosum, & ut ita dicam, perdiderit tot æternitates, quot ejusdem momenta, quorum quovis æternæ gloriæ gradum mereri sibi poterat, malè consumpsit. At quis dolor erit revocare non posse hoc tempus, quod tam facile elabi sibi passus est? quî enim hoc posset, cum neque Deus quantumvis omnipotens hoc possit? sed quid porro sperabit, dum de reparatione temporis desperat? quî verò hoc reparabit? Vis mali, quod eum cruciat, dolor, quo premitur, inquietudo, qua agitur, horror, quo conturbatur, & denique mors, qua urgetur, fat libertatis id præstandi i-

ps



psi non concedunt. Cur igitur non serio <sup>Iulius</sup>  
studemus, tam pretiosi temporis jacturam  
nunc sarcire, cum de eo cogitamus, cum  
ad hoc nobis tempus supererit, cum id a-  
gere penes nos est. Væ nobis, si hoc fa-  
ciendi voluntas nobis deest! Heu me! ve-  
niet dies, qua voluntatem habebimus, po-  
testatem verò non habebimus amplius.

*Cum tempus presens tuum sit, nec futurum  
polliceri tibi possis, statue illo bene uti.*

Homo vanitati similis factus est; dies  
ejus sicut umbra, prætereunt. *Psal. 143. 4.*

Modò dicamus fructuosè: transeunt om-  
nia, ne tunc dicamus infructuosè: tran-  
sierunt. *Aug.*

---

## DIES V.

### De Judicio.

*Judicium extremum ostendet, Deum  
erga Electos justum fuisse.*

#### I.

**D**Eus in die Judicij vniverso orbi demon-  
strabit agendi rationem, quam er-  
ga homines probos tenuit, æquam fuisse.  
Ea quibusdam austeram, imò & iniquam vi-  
debat, quòd tam severam se justis exhi-  
be-

be-



Julius,

beret, illo ipso tempore, quo tam patienter improbos tolerabat. In mundo vitium felix; scelus coronatum, & mali semper primas tenere videbantur; cum è contrario innocentia oppressa; virtus velut ignota despectui haberetur, vel etiam pessumdaretur, Sancti, quorum dignus non erat mundus, affligerentur, calumnijs appeterentur, lapidarentur, ab omnibus lacerarentur. Iste agendi modus Providentiæ divinæ, impijs credebatur occasio convitij, offensæ imbecillis, murmurationis, ignaris, & quandoque justissimis quoque ansa criminationis in Justitiam, & Providentiã divinã conijciendæ: David asseverat, se aliquoties cohorruisse: Ah! inquietabat: si Deus hunc in modum amicos suos tractat; an mirum est, si eorum tam pauci sint?

*Piedè moti  
sunt pedes  
mei pacem  
peccatorum  
videns Psal.  
72 v. 2. & 3.*

II. At in judicio extremo Deus suam cum electis agendi rationem æquam fuisse abundè demonstrabit; cum vniverso orbi aperiet causas, quas habuit, hunc in modum eos tractandi, faciétque, ut mali pariter, & boni fateantur, eas fuisse justissimas, & proin ab ipsis adorandas, etsi eas tunc non penetrârunt: demonstrabit ipsis viam, qua eos duxit, debuisse videri amœtiam, ob terminum, ad quem collimabat,

&amp;



& cum emolumento opprobria, quæ per- Julia  
 pessi fuere, ab ijs avertet per insignem glo-  
 riam, ad quam eos coram vniuerso orbe e-  
 uehet. Statuet eos scopum æstimationis,  
 & venerationis omnibus Angelis, omni-  
 bus hominibus, atque ipsis etiam reprobis,  
 qui vel inviti debitum eis honorem præ-  
 stare, eosque magni æstimare debebunt.  
 Atque hæc grandis æstimatio, etsi coacta,  
 non minùs tamen erit sincera, nec minùs  
 vera. Denique supremus iudex, ut glo-  
 riæ Electorum suorum complementum  
 addat, eos constituet iudices illorum, qui  
 ipsos iudicârunt, illorum, qui eorum per-  
 secutores, vel etiam tortores fuere.

III. Deus compellet reprobos ad testan-  
 dam iudicis sui sapientiam, & iustitiam,  
 dum se ipsos iniustitiæ, insaniamque accusa-  
 bunt. Ea propter Spiritus Sanctus in Li-  
 bro sapientiæ eos hunc in modum loquen-  
 tes inducit: Ob inopinatam orbis ruinam  
 siderati, pœnitudine sera correpti, omni-  
 que spe destituti, cum eam nihil profectu-  
 ram nôrint, atque insuper justos ad dex-  
 teram iudicis collocatos intuiti, Hi igitur  
 sunt, dicent, quos habuimus aliquando in de-  
 risum, & in similitudinem improperij? nos in-  
 sensati vitam illorum æstimabamus insaniam,  
 & finem illorum sine honore: Ecce quomodo com-

Sap. 5. v. 3.  
 & 1.




**Julius.**

putati sunt inter filios Dei, & inter sanctos fors illorum est. Quia ipsi æternum gaudebunt, dum nos æternum eadem erimus exclusi. Quantus igitur error noster, quanta infamia nostra fuit! Ergo erravimus? Væ nobis, quod errorem nostrum non agnoverimus, nisi jam, cum eum emendare amplius nequimus! Fac, Domine, ut ex horum infelicitate resipiscam, & errorem, in quo hætenus vixi, agnoscam nunc, dum ejus effectus impedire possim.

Eligamus potius affligi, & persecutiones pati cum bonis in hac vita, quam felices esse cum impijs; hoc enim signum est, nos à Deo inter electos numerari, & ut tales tractari.

Nunquid irritum facies iudicium meum, & condemnabis me, ut justificeris. *Iob. 40. 30.*

In iudicio quippe extremo non sic erit; sed aperta iniquorum miseria, & aperta iustorum felicitas. *Aug in Psal.*

**DIES**



Julius.

DIES VI.

De Pœnitentia Damnatorum.

I.

Vermis Conscientiæ, qui damnatos rodit, pœnitentiam complectitur seram, & proin inutilem: *sera turbabit pœnitentia.* Est quidem pœnitentia in inferno; sed insolita, & metuenda pœnitentia, quæ animam lacerat, justam verò non facit; quæ peccatorem affligit, cruciat, & interimit; sed vitam ei non reddit. Pœnitentia hujus vitæ, est simul amara, & dulcis, affligit & solatur; vulnerat, & medetur, *mortificat & vivificat.* Est laboriosa, sed & fructuosa. Verùm, quemadmodum pœnitentia damnatorum proprijs commodis addicta est, & ex amore sui ipsius oritur, sic affligit, nec tamen solatur, *mortificat*; nec tamen *vivificat.* Veniam non conciliat, sed pœnam auget, vitam non reddit; sed ejus loco mortem crudelissimam accersit. O inauditam juxtâ, ac terribilem pœnitentiam!

Innoc. 3.

Sæculi autem tristitia mortem operatur 2. Cor. 7. 10.

Qua enim secundum Deum est tristitia pœnitentiam stabilem operatur. La bid.

II. Sed quàm insolita, tam inutilis hæc est pœnitentia; cum simul complectatur motus inter se prorsus oppositos, & stupendum in modum secum pugnantes. Hæc

B

est



Julius.

est pœnitentia, & non est: crederes, eam complecti omnia simul ad veram pœnitentiam necessaria, & tamen non complectitur; sicque damnatus novo prodigio duas eodem tempore contrarias inter se voluntates habet, & desideria, quæ sibi mutuo repugnant, seque ipsa destruunt. Vult enim, & non vult; detestatur, & non detestatur; odit, & non odit; vult ab infelicitate sua liberari, & à peccatis non desistere; detestatur scelera sua, quia æterna eum privant felicitate, & ea non detestatur; quia Deo æternum subtrahunt honorem. Odit peccatum, quia ei supplicij causa est, sed id non odit, quia Dei offensa est. Atque ita pœnitens est, & non est, pœnitens est ob supplicium suum, & non ad salutem suam. Cur non mavis esse pœnitens in hac vita, cum talis & suaviter, & fructuosè esse potes?

III. Pœnitentiam agere necessariò nos oportet, vel in hac, vel in altera vita: utrum mavis? elige modò, cum potes: tempus veniet, quo non poteris. Pœnitentia hujus vitæ longa non est, quia ultra vitam nostram, quæ semper brevissima est, se non extendit, & licet severissima foret, levis tamen censenda est, si compareretur cum pœnitentia inferni, quem meritus  
fui-




fuiſti, & ratio habeatur tot peccatorum, Iulius  
 quæ perpetrâſti, & Maieſtatis divinæ,  
 quam offendiſti. Ea eſt valdè utilis, cum  
 unica lacryma ex animo ſincerè pœniten-  
 te profluens, Deum mitiget, nos ab infer-  
 no liberet, & felicitatem æternam afferat.  
 At pœnitentia damnatorum ſupra modum  
 magna eſt, quia omnibus bonis eos privat,  
 & omnia mala eis perferenda accerſit.  
 Longa eſt, quia alium terminum non ha-  
 bet, quàm æternitatem. Eſt inutilis, quia,  
 cum peccatum non deleat, è pœna, quæ  
 ejus effectus eſt, eripere nos non valet, u-  
 tra harum tibi præferenda viderur? eſtne  
 dubitationi locus? quod ſi dubius hæres,  
 tuam teſtaris cæcitatem.

*Statue ab hoc momento pœnitentiæ agendæ fa-  
 cere initium, cum eam & facilius, & fructuo-  
 ſius ſis acturus.*

Pœnitentiam agentes, & præ anguſtia  
 Spiritûs gementes. *Sap. 5. 3.*


O ſi tempus pœnitentiæ cognoſceretur,  
 quando eſt in noſtra poteſtate poſitum; ſi-  
 cut cognoſceretur amiſſum, quàm ſerîo pœ-  
 niteremus! *Aug.*



D 2

DIES





## DIES VII.

De Gravitate Peccati ex ejus  
adjunctis.

I.

**M**agnitudinem peccati metiri debemus  
 è magnitudine Dei offensi, & vilita-  
 te hominis eum offendentis. Peccatum  
 tam grande est malum, quàm grandis Deus,  
 & quàm contemptibilis homo est. Deum  
 esse, necesse est, qui ingentem peccati ma-  
 litiã comprehendere possit. Verùm,  
 diabolum esse oportet, qui peccatum ad-  
 mittit, si nõrit, quid illud sit. Quid est  
 Deus? est Majestas, excellentia ipsa, &  
 summa (ut cum Scholis loquar) indepen-  
 dentia. Quid est homo? vilitas, imbecilli-  
 tas, & dependentia ipsa, terræ vermicu-  
 lus, nihilum. Et hic terræ vermiculus  
 contra supremam Majestatem erigere ca-  
 put audet, hoc nihilum contra omnium re-  
 rum principium rebellare, hic homo tam  
 vilis, & miserabilis ipsum aggredi Deum  
 non veretur? quanta insolentia! an hæc,  
 etiam cùm videtur, credi potest? An  
 Deus eam intueri potest, quin puniat? an  
 infernus unicus eidem puniendæ sufficit?

II. Quam



II. Quam ob rem, hic terræ vermiculus Iulius.

offendere supremam hanc Majestatem aude-  
der? ob vilem, & turpem voluptatulam?  
ob nihili lucrum? Cuj me assimilasti? in-  
quit Deus per Prophetam, vel, cui me non  
posthabuisti? si id foret orbis vniversi im-  
perium; attamen ingens esset injuria: sed  
magnitudo denique pretij sceleris enormi-  
tatem aliqua ex parte diminueret, vel cer-  
tè peccatorem excusatione minùs indi-  
gnum redderet. Sed offendere Deum ob  
rem frivolum, ob rem nihili, quàm hor-  
rendus contemptus! injustitia Judæorum,  
qui homicidam, hominem sceleratum  
Christo præferunt, horrorem nobis incutit;  
cùm tamen ipsi, eum esse Deum ignorã-  
rint, imò sibi inimicum esse censuerint.  
Ego verò, qui ipsum Deum meum, & Ser-  
vatorem agnosco, vilem, despectamque  
ei creaturam præfero: quantum nefas!  
Potèstne homo, & quidem Christianus eò  
usque perversitatis delabi? Et si eò delaba-  
tur, potèstne Deus Servator, quantum-  
cunque patiens sit, impunitum dimittere?

III. Id, quod insuper peccati gravita-  
tem infinitè auget, est multitudo, & ma-  
gnitudo nominum, quibus Deo à nobis  
offenso obstringimur. Is ad imaginem  
suam nos creavit, sanguine suo redemit,



Julian.

eius pretium modo quodam peculiari nobis applicavit, nosque tot alijs prætulit, ad fidem nos vocavit, carne & sanguine suo quotidie pascit, ab infinitis malis liberavit, à millenis periculis, quæ in hac, & altera vita funesta nobis forent, defendit, gratijs suis prævenit, beneficijs suis obruit, felicitatem æternam nobis destinat; nos verò eodem quoque tempore, quo nos à tot malis tuetur, tot, tantaque bona nobis præstat, & præstare cogitat, ipsius obliviscimur, ipsum despiciamus, ipsum offendimus, nec quidquam hisce beneficijs, præter injurias rependimus. Inveniturne inter homines, quantumcunque dissoluti illi sint, adeò retrum ingrati animi exemplum, ut illud est, quod Deo exhibetur?

*Utere potentibus hisce incitamentis ad concipiendum verum dolorem de peccatis tuis præteritis, firmumque concipe propositum, ea in posterum non committendi.*

Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini Creatoris tui. *Deut. 32.18.*

Videtur enim comparationem egisse, & judicatò pronuntiàsse, eum esse meliorem, cujus esse se maluerit. *Tertull.*

DIES



## DIES VIII.

De modo cognoscendi, &  
impugnandi*Affectum nobis dominantem.*

## I.

Impugnandæ sunt animi nostri commotiones, & affectus; atque hæc præcipua Christiani occupatio esse debet; neque tamen omnes simul invadendi; dividendæ sunt hostis vires, ut eum facilius superemus. Initium ducendum ab animi commotione dominante; hac enim devicta facile de alijs obtinetur victoria: cum ea reliquas moveat, & potissimum roboret. Jam verò, si multum refert eam aggredi, necessarium est, ut ea cognoscatur, licet hoc perquam difficile sit: vel enim debilis adhuc, vel valida est: si debilis est, non facile se prodit, nec à turba reliquorum animi motuum discernitur: si valida, justo plus dominatur; & ob hoc ipsum nos excæcat, & impedit, quò minus eam cognoscamus; vel, saltem pravitates, in quas ea nos adducit, percipiamus.



Julius.

At licet difficile sit affectum nobis dominantem cognoscere, impossibile tamen non est. Eum ut perfecte dignoscas, subtrahe paulisper te, si fieri potest, mundi negotijs: occupationum enim externarum tumultus impedit, quò minus advertamus tumultum, quem affectus interiores excitant. Præterea in secessu longè melius sentimus vivacitatem affectuum nostrorum; atque ita facilius est eos notare. Scrutare dein cor tuum, indaga, quinam affectus corporis, animique tui habitudini magis respondeat, à quo oppugnando magis abhorre te sentias; quinam alias animi tui commotiones magis exciter; quinam cogitationibus, & consilijs tuis frequentius sese insinuet, quinam vivaciores imaginationes menti tuæ imprimat, quinam plurium exteriorum pravitarum sit causa, quinam ad credriores, majorésque defectus admittendos te impellat; quinam majoribus periculis te exponat, & molestiores effectus gignere queat. Ne dubita, quin affectus, in quo omnia hæc indicia deprehendis, præ reliquis tibi dominetur. Contra hunc proinde singulariter dimicare te oportet: cum ex hac victoria salus tua pendeat.



III. Oportet igitur omnia adhibere me- Juniu  
 dia, quæ felicem tanti operis successum  
 polliceri nobis possunt. Eorum aliqua  
 sunt generalia, alia particularia. Media  
 generalia sunt: Præsentia Dei, oratio, me-  
 ditatio, lectio sacra, usus Sacramentorum,  
 sui dominandi studium, eleemosyna. Par-  
 ticularia sunt actus exteriores, & interio-  
 res, qui frequentes, juxtà ac ferventes,  
 esse debent. Ingens cura prævidendi om-  
 nes occasiones, in quibus delinquere po-  
 terimus, easque prævertendi; præsertim  
 verò in usu Examinis particularis fide-  
 litas. Non est ulla affectio animi sinistra,  
 quæ omnibus hisce medijs, si ijs uteremur,  
 obniti possit. At quis hoc facit? at etiam  
 quis est, qui affectu aliquo sibi dominante  
 se expediat? & interea, potestne aliquis,  
 illo non domito, solidam habere pietatem?  
 estne ejus salus ipsa in tuto? Vellésne pe-  
 nes te domesticorum aliquem tolerare,  
 qui in vitam tuam conjurasset? & tamen  
 non modò toleramus, sed & nutrimus  
 hanc animi pestem, inimicum hunc do-  
 mesticum, qui in perniciem nostram con-  
 juravit.

*Non negligere hac methodo uti, & conare tem-  
 pus invenire cognoscendi, quinam affectus tibi  
 præ reliquis dominetur.*



Iulius;

Inimici hominis domestici ejus. *Matth.*

1. 36.

Te vince; & mundus est victus. *Aug.*  
*Serm. 5.*

## DIES IX.

## De Superbia.

I.

QUEMADMODUM humilitas fundamen-  
tum est omnium virtutum, sic super-  
bia omnium vitiorum. Qui superbus est,  
is quoque in iram præceps est, quod cre-  
dat, nunquam sibi sufficientem haberi ho-  
norem: est avarus; nam habere bona qua-  
cunque demum ratione contendit: hoc e-  
nim est tutum ad honores emergendi me-  
dium. Vindictæ cupidus est; remittere  
non potest vel solam contemptus speciem,  
Invidus est, spectat enim aliorum eminentiam  
tanquam sui depressionem: injustus  
est, cum nihil alijs se debere, sibi verò de-  
beri omnia ab omnibus arbitretur: non ra-  
rò libidinofus est, quia Deus animum per  
corpus deprimat, permittitque, ut ad suam  
confusionem in defectus graves labatur.  
protervus est; nam reliquos vniversos cum  
fastidio, & contemptu intuetur. Immi-  
seri-



sericors est, sibi ipsi, suisque commodis u- Iulius  
nicè intentus, alios, eorúmque commoda,  
& incommoda susque deque habet. Quàm in-  
auditum hóminis monstrum! an non & tu  
tale es?

II. Qui aliorum peccatorum se reos nó-  
runt, à Deo recedunt, quasi ostensuri, se  
Deum à se offensum formidare. Sola su-  
perbia ad Deum usque extollere sese velle  
videtur; sed ut eum lacestat, eique insultet.  
Quanta insolentia! Deus ei se oppo-  
nit, Deus eum impugnat, Deus ejus in-  
teritu delectatur. *Superbis resistit.* Quan-  
ta infelicitas, omnem Dei potentiam sibi  
habere infensam, & modo peculiari inimi-  
cam. Superbus, dum se extollit, sibi-  
que ad Deum usque evehi videtur, ab eo  
longiùs abit; humilis contrà, cùm se de-  
primit, & à Deo recedere videtur, pro-  
piùs ad eum accedit. *Humilia respicit, &*  
*alta à longè cognoscit.* Superbus aliud non  
cogitat, quàm, qua ratione altiùs ascende-  
re possit; & Deus ex ejus depressione vo-  
luptatem capit. Corpus ipsius deijcit per  
morbos, animum per pænas, & cor per  
vehementes dolores, quibus illud obruit.  
Hæc agendi ratio, quantumvis austerà  
videatur, erit denique Domine, effectus  
ergame misericordiæ tuæ; si à superbia  
mea

*Quis resistit  
ei, & pacem  
habuit?*

*Iob. 9. 4.*

*Psal. 122.*



Julius,

mea me liberat, remedia, quantumcunque violenta illa sint, suavia mihi videbuntur, dummodò deprimendo me, humilem me reddant; ut cum Propheta tuo dicam: *Bonum mihi, quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas.*

*Psal. 118.  
v. 71.*

III. Itaque, mi Deus, aufer â me hunc superbiæ spiritum, qui tam robustas in corde meo radices egit, etsi tam exiguam in illud se intrudendi rationem invenerit. Si superbiam meam auferre mihi non potes, quin simul auferas ea, quæ eandem nutrire, vel augere possunt, nempe animi, corporisque dona, officia, felicem rerum omnium successum, mei æstimationem, & quidquid eam accersere mihi potest; ah! Domine, lubens acquiesco, ut ijs me prives, modò in eorum vicem, humilitatem mihi largiaris: sic enim, reliquis omnibus perditis, multum lucrabor; quia per eam thesaurum acquiram inestimabilem, utpote tanta bona complectentē: nam denique Domine, si humilis sum, securus quoque sum, me tam felicem fore, ut tibi placeam; & si tibi placeo, an non sperare mihi licet, me â te accepturum omnes, easque maximas gratias, quas humilibus nunquam negas? *humilibus autem dat gratiam.*

*Jacob. 4.*

*Ni-*



Nihil magis deprimere te debet, quàm superbia tua, quia nihil magis à Deo te repellit. Una igitur è præcipuis tuis curis sit, ut è corde tuo spiritus evellas superbiam. *Julius.*

Excellentiam oculorum ne dederis mihi. *Eccli. 23. 5.*

Aufer à me spiritum superbiæ, & da mihi thesaurum tuæ humilitatis. *Aug.*

---

## DIES X. De Hypocrisi.

### I.

**H**ypocrita videri cupit talis, qualis non est, ut labori parcat evadendi talis, qualis esse deberet. Honorem virtuti exhibet æstimatione, quam de ea habere videtur, dum virtutibus instructus haberi cupit. Verùm sibimetipsi infamiam aspergit, dum virtutis specie contentus operam virtuti reipsa acquirendæ necessariam impendere non vult. Interea omnem obtinendæ virtutis laborem subit, quin ejusdè obtineat meritum; è duplici proin capite infelix. Qui scandalum præbet, multum alijs mali perverso suo exemplo affert: sed Hypocrita utilis est alijs, dum eos decipiendo ad virtutem allicit, nec



Iulias.

nec malum, nisi sibi met ipsi parit. Et nihilominus minus hypocritæ, quàm homini vulgatæ malitiæ ignoscimus.

II. Hypocrita aliud non cogitat, quàm, ut satisfaciatur hominibus, quorum æstimatione eum nec meliorem, nec feliciorum reddit, parùm sollicitus de iudicio Dei, qui solus eum reddere perfectum, & felicem potest. utut hypocrita felici semper successu mortales omnes, & semetipsum deciperet, non tamen decipere Deum poterit, qui, Apostolo teste, omnia cuiusque animæ, & amoris proprii inspicit arcana, qui oculis suis densissima vela penetrare, & obscurissimas tenebras illustrare novit. Non est larva, quæ Deo nos tegere possit; non est conscientie latebra adeò abdita, quæ oculos Dei fugiat. Et quid mihi proderit, si totum mundum, meque ipsum decipero, Deum verò effugere non potuero?

III. Verùm hypocritæ dolus suus non semper ad votum succedit. Quàm enim difficile est evitare tot, tamque malignos, & perspicaces oculos, qui nos observant! artificium affectatum constans esse nequit, nec agere semper eandem personam possumus; æqualem semper se gerere, ubi simulate agitur, difficile est. Idcirco invigilare non solum ijs, qui nos observant; sed

&amp;



& proprio cordi, cunctisque ejus propen-  
sionibus nos oportet. Quidquid natura-  
le non est, violentum est: quod autem vio-  
lentum est, diuturnum esse non potest.  
pauci hypocritæ semper felices sunt; & verò  
magnæ ipsis infelicitatis loco esset, si feli-  
ces semper forent; tunc enim malum ipso-  
rum immedicabile foret. Dedecus,  
quod hypocrisin sequitur detectam, gran-  
dem hypocritæ dolorem parit; at simul u-  
tilem, cum impediatur, quò minus sit insa-  
nabilis. Cæterum hypocrita raro ad bo-  
nam frugem redire videtur. Si artificia  
hypocriteos, si mysteria iniquitatis non  
detegantur in hac vita, olim in conspectu  
universi detegentur in altera, non sine hor-  
renda eorum confusione!

*Scrutare cor tuum, ut cognoscas, an non te-  
metipsum decipere coneris, vel alium, quàm es,  
te simulare, ut tutius imponas alijs*

Homo enim videt ea, quæ parent, Do-  
minus autem intuetur cor. 1. Reg. 16. 7.

Hypocritæ justî esse non quærunt; sed  
tantum videri volunt, mala agunt, & bo-  
na profitentur. Aug.

DIES



Iulius.



DIES XI.  
De Relapsu.

## I.

SI toties in peccatum relaberis, an non times, ne te impotentem reddas, ex eo amplius emergendi? quivis lapsus animam debilitat; sed lapsus iteratus magis adhuc vires illius frangit, & e vitijs sese eripiendi difficultatem auget. Quò altiùs quis cadit, eò violentior, & periculosior est lapsus, & quòd inde sequitur, major ab eo se erigendi difficultas enascitur. Homo in gratia constitutus in loco est perquam sublimi, propterea, quòd Deo sit unitus; proinde cum denuò in peccatum labitur, profundissimè cadit, & infinities à Deo recedit, acceditque ad inferni centrum. Ut quis e tam profundo barathro emergat, magnis conatibus opus est; atque ad hoc obtinendum ingenti gratia. Mereturne homo toties relapsus, & dein gratijs divinis abusus, ut Deus ipsi peculiare imperiat gratias? an non hæc sibi polliceri, est incertissimo fundamento niti?

II. Imò non solum non habet causas eas sperandi, sed potius credendi, Deum sibi

cas



33  
eas negaturum, idcirco, quòd lapsus itera-<sup>Iulius</sup>  
tus penitus eum indignum illis reddiderit  
ob ea, quæ lapsui adjuncta sunt. Quo-  
rum primum est, turpe ingrati animi vi-  
tium. Concessa est ipsi gratia, donum  
tam pretiosum, quàm pretiosus est san-  
guis Hominis-Dei, quæque ei confert jus  
certissimum Deum possidendi, etiamsi id  
promeritus non fuerit, etiam tunc, cum  
per peccatum suum ejus se reddidisset indi-  
gnum; & nihilominus eam tam parvi æ-  
stimat, ut hanc gratiam perdere nihili du-  
cat, imò ob ejusdem jacturam felicem se re-  
putet. Alterum adjunctum est ingens  
contemptus veniæ, quam cum tantis do-  
loris, & pœnitentiæ signis petierat; gra-  
tiæ, quam possidebat, & Dei ipsius, qui  
illam ei impertierat; & sic abutitur bonita-  
te, & patientia Dei, ut ipsum offendere  
non videatur, nisi ut veniam ab eo flagitet;  
nec veniam ab eo flagitare, nisi, ut denuò  
ipsum offendant: adeò, inquit Tertullianus,  
ut homo arbitretur, ideò sibi scelerato esse  
licere, quia Deus bonus est; dum è patien-  
tia Dei, qua ipsum tolerat, vel incitamen-  
tum, vel occasionem sumit suâ ipsum in-  
solentiâ liberiùs offendendi.

III. Denique homo, qui in peccatum  
iteratò labitur, animo ingrato contem-  
prum,

C

prum,



Julius.

ptum, & perfidiam jungit. Post tot promissiones toties coram Dei viventis Vicario repetitas, Christi corpore, & sanguine, quem eo tempore sumplerat, ut ita dicam, signatas, Christianus aliquis valdè perfidus sit, necesse est, si omnium promissionum obliviscatur, easque violet, idque data levissima occasione, levissima tentatione, ut miseræ cujdam creaturæ placeat, ut obscænæ satisfaciatur cupiditati. Et sanè, ut post lapsus tam frequentes denuò surgat, opus foret perquam efficacibus, imò victricibus gratijs. Potèstne ingratus, perfidus homo, qui tam contemptim cum Deo agit, sine horrenda arrogantia, & temeritate hujusmodi gratias sibi polliceri? & quo tandem post tot relapsus suam resurgendi spem firmare potest? ah! Domine, an non mihi sufficit, toties fuisse sceleratum? oportètne sceleribus meis perfidiam jungere? Puderet me homini perfidum esse, & Deo perfidum esse non pudeat?

*Fuge peccatum, sed magis time relapsum in peccatum; si iste frequens est, treme: quadam enim prodigij specie opus est, ut inde resurgas.*

Erunt novissima hominis illius pejora prioribus. *LUC. 11, 26.*



Id uno deterior; quia Deus melior, ut *Julius*.  
redundantia Clementiæ Cælestis libidinem faciat humanæ temeritatis. *Tertull.*

---

DIES XII.  
De Tentatione.

I.

**T**entaris? ne despondeas animum: Deus virtutem tuam explorare, eam exercere, & coronare cupit. Sanctus Sanctorum Christus tentari voluit. anne mirum, quòd tu, qui peccator es, tenteris? ipsius exemplum solari te, & fortitudinem tuam animare debet. Tentaris? Fuge, Ora, Pugna. Fuge, si potes; in hoc prælio fugere turpe non est; nec est ignaviæ, sed prudentiæ, & magnanimitatis argumentum. Magnopere Deo obstricti sumus, quòd victoriam non animi generositati, nec resistentiæ, sed præcautioni, & fugæ alligârit: non enim omnes pugnare valent; quis verò est, qui fugere non possit? imbecilles nos, & ignavi, si semper pugnandum esset, ut vinceremus, ah! quoties succumberemus; cùm tot, tamque potentes hostes cervicibus nostris imminerent: at, quantumcunque potentes sint,



Julius.

nihil ferè contra hominem possunt, qui fugere novit.

II. Tentaris? si fugere non potes, ora. Hoc est consilium, quod Christus Dominus tibi suggerit; vel potius præceptum, quod tibi injungit. Apostolis malè cessit, quòd huic præcepto morem non gesserint: cum enim in horto olivarum cum Magistro suo morarentur, & vigilare, atque orare deberent, à somno vinci se passi sunt; & quia tam negligentes fuère, ut orationem intermitterent, propterea etiam adedò debiles, vel ignavi evasère, ut Magistrum suum desererent. Omnis nostra in tentationibus fortitudo aliunde venire non potest, quàm ab auxilio divino: id verò non nisi oratione consequi possumus. Quid te in tentationibus imbecillum reddit? què fit, ut ijs toties succumbas? causa est, quòd non ores. A gratia omnes nostræ virtute proficiscuntur; nec quidquam, præter orationem, est, quòd gratiæ securos reddere nos possit.

III. Si non obstante oratione tentatio perseveret, dimicandum est. Divus Paulus oravit, & quidem tertium oravit, ut tentatione liberaretur; neque tamen fuit exauditus. Pace gaudere cupiebat: sed Deus volebat, ut eam, nisi bello & pugna



gna obtineret. Quantumcunque debilis <sup>Julius.</sup>  
 sis, & hostes tui potentes, ne cadas animis:  
 Deus pugnae tuae praesto est, opem suam  
 ad te tuendum offert, coronam ad te ani-  
 mandum tibi monstrat: is in te tecum, &  
 pro te pugnat. Potésne quidpiam formi-  
 dare? si Deus pro nobis, inquebat S. Paulus, <sup>Rom. 8.</sup>  
 quis contra nos? certa tibi victoria est, si mu-  
 neri tuo satisfacis. In hoc praelio non  
 vincitur, nisi qui vinci cupit: quamdiu  
 quis pugnat, tamdiu non superatur. Hic,  
 qui non vincitur, semper victor est: victo-  
 riae verò praemium gloria est immortalis.  
 quis ad obrinendum hoc praemium pugna-  
 re recuset?

*Sæpius à Deo pete, quemadmodum Christus  
 te docuit, non, ut non tenteris, sed ut tentatio-  
 ni non succumbas.*

Fidelis Deus est, qui non patietur vos  
 tentari supra id, quod potestis. *1. Cor.*  
*10. v. 13.*

Tunc maximè oppugnaris, si oppugna-  
 ri nescis. *Hieron. Epist. 1.*




C 3

DIES



Julius.



## DIES XIII.

## Remedia Avaritiæ.

## I.

**R**atio non minùs, quàm fides damnat avaritiam, & immoderatum divitiarum amorem. Necessum non est, ut quis Christianus sit, ad comprehendendam hujus cupiditatis immoderationem; satis est, ratione præditum esse; quid enim rationi magis adversatur, quàm perditè amare bona, quæ sine iniquitate ardentè desiderare non potes, quæ sine injustitia avidè congerere nequis? si ea nimis avidè possides, cum inquietudine asservas, cum sordida parsimonia ijs uteris, & non sine dolore perdis; quantumcunque ea magna sint, desideria tua non explent, sed accendunt. Visusne fuit unquam avarus aliquis, qui satis divitem se esse crederet? divitiæ non reddunt nos meliores, sed plerumque deteriores, nec unquam ex toto felices. Si quis in suum commodum parùm earum expendit, de bonis suis non gaudet; si in erogandis liberalior est, ijs non gaudet diu: sexcenti casus hæc nobis bona eripere possunt, & mors ea certissime

no-



nobis eripiet. Quæro ex te: merenturne *Julius*  
hujuscemodi bona bonis infinitis, & æ-  
ternis præferri?

II. At fides adhuc severiùs, quàm ratio,  
nimium erga bona caduca affectum da-  
mnat. Qui fieri potest, ut Christianus ab  
hac cupiditate possideri se patiatur, si Ev-  
angelium attentè legit, & attendit? po-  
tèstne fieri, ut non contremiscat ad exe-  
crationes, quas Christus vibrat in divites  
opibus suis immoderatè addictos? & quis  
divitum ijs immoderatè addictus non est?  
potèstne fieri, ut non cohorrescat, ubi Ser-  
vatorem sanctissimè asseverantem intelli-  
git, difficilius esse, ut dives Regnum cæ-  
lorum intret, quàm ut Camelus per fora-  
men acûs transeat? si narrari audit de in-  
felici sorte divitis illius, in quo nullum a-  
liud inveniebatur crimen, nisi, quòd ni-  
mio amore opibus suis affectus, iisque bene-  
usus non esset? at quis invenitur divitum,  
qui statum suum considerare non debeat  
cum affectu demissionis, & timoris, si co-  
gitet esse statum Christo è diametro oppo-  
situm, qui pauper natus, pauper vixit, &  
pauper mortuus est: an non autem status,  
qui Christi statui penitus adversatur, quo-  
dam reprobationis caractere insignitur?  
an non fides ijs, qui eam habent, & ta-



Julius.

men in hoc statu se deprehendunt, incurere timorem debet? & tu nihilominus inde tibi ansam oblectationis, & superbiæ sumis. Verus Christianus homo, qui veram fidem habet, quò ditior est, eò majorem timendi, & se deprimendi causam habet.

III. Quid agis, qui tam cupidè divitijs inhias? obstacula salutis tuæ quæris. Quàm difficile est magna bona possidere, & ijs nimis addictum non esse? at ijs addictum esse sine immoderatione, an non Chymera est? Id, quod te ad desiderandas divitias impellit, horrorem illarum tibi iniicere debet: quam enim ob causam illis inhias, nisi ut desideria tua restinguas? & cum pleraque tua desideria immoderata sint, affectus quoque tui semper injusti sunt; potesne igitur ijs satisfacere, quin & ipse injustus evadas, & damnationis æternæ periculum incurras? ut Deus te puniat, & perdat, plus non requiritur, quàm, ut desiderijs tuis annuat. Quid quæris, si majores quæris divitias? multiplicare, & roborare vincula tua cupis, quæ in mortè necessariò rumpi debent. Quantam violentiam non patietur homo, qui tot vinculis terræ alligatus est, cum ab ea separari debeat? rot sentiet crudeles lacerationes, quos hujuscemodi affectibus terræ fuit affixus:



fixus: *Siccine*, aiebat dives quidam avarus, *Julius*:  
*separas amara mors!* méque â bonis meis a-  
vellis? felicémne te judicas, dum opes *Reg. 15:*  
opibus cummulando, huic infelicitati te *v. 22.*  
implicas!

*Statue moderari desiderio bona corradendi,  
& affectum in ea, quæ jam possides, domare.*

Cùm dives factus fuerit homo, cùm in-  
terierit, non sumet omnia. *Psal. 48. v. 17.*  
& 18.

Si divites esse vultis, tales divitias con-  
cupiscite, quas nec in naufragio potestis  
amittere. *Salvianus.*

---

## DIES XIV.

### De Perfectione Actionum.

#### I.

**C**hristianus debet esse homo perfectus.  
*Estote perfecti*, inquit Christus, *sicut*  
*Pater vester cælestis perfectus est.* Quale exem-  
plar! Vita nostra perfecta erit, si actio-  
nes nostræ perfectæ sint: actiones verò no-  
stræ perfectæ erunt, si eas cum Christo o-  
beamus, ita, ut ipse omnium earum prin-  
cipium sit: perfectæ erunt, si eas obeamus,  
ut Christus eas obijt, ita, ut ipse earum  
sit idæa; perfectæ erunt, si eas obeamus



Iulius.

propter Christum, ita, ut ipse earum sit finis. Hæ tres regulæ totam absolvunt Christianam perfectionem. Debemus itaque agere cum Christo, ut ipse sit principium omnium nostrarum actionum. Simul ac Sanctissima Humanitas Verbo unita fuit, Verbum fuit principium omnium ipsius actionum; idcirco eæ fuere divinæ, & proin meriti infiniti: sic, ut primum Christianus per Baptismum Christo unitur, Christus principium esse debet omnium ipsius actionum; ut & ipsæ evadant aliqua

*Jo. 15. v. 4* ratione divinæ juxta illud Christi: *sicut palmæ non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis; quia sine me nihil potestis facere.* At quid mecum agere non potestis? Eheu! si tam sterilis es, an non inde id oritur, quod Christus tecum non agat, neque tu cum ipso?

II. Ut actiones nostræ perfectæ sint, necessarium est, ut sic eas obeamus cum Christo, ut ipse semper sit Exemplar nostrum. Pater æternus, dum filium suum Christianis monstrat, cuiusvis eorum dicit, quod olim Moyse: *Inspice, & fac secundum Exemplar;* & omnes ejus ductus in te exprimere stude. Ipsius axiomata præcipuum studium tuum, & ejus exempla, unica tibi

re-



regula esse debent. Christianus, inquit S. Julius, Gregorius Nyffenus, pictor esse debet vitæ ipsius. Voluntas est quasi manus, actiones nostræ ductus penicilli sunt; virtutes colores, Christus verò archetypum. Pictor aliquis excellens, qui archetypum quoddam imitari cupit, ad quemvis ferè penicilli ductum in illud oculos conijcit, ut omnia ejus lineamenta concinnè exprimat; sic & tu, cùm vitam Christi imitari debeas, ad quamvis actionem oculos in Iesum divinum tuum Archetypum defigere debes, ut, quomodo ipse eam fecerit, advertas, & ad ejus agendi rationem tuam instituas. Atque hic est modus perfectè in te exprimendi mirandum hoc Archetypū, ita, ut vita Iesu manifestetur in corporibus vestris, ut Apostolus loquitur: adeò, ut, si Pater æternus filium suum in te cognoscat, in te sibi complaceat, tibi que characterem imprimat Prædestinationis, cujus ista similitudo non modò certissimum signum, sed & causa est efficacissima.

2. Cor. 4.  
19.

III. Ut actiones nostræ perfectæ sint, necessarium est, ut Christus earundem sit finis. Si actiones nostræ bonæ sint, Christus earum est principium per gratiam: cur non illarum etiam finis sit? *omne, quodcumque facitis, in verbo, aut in opere, omnia in no-*

*mine*



**Julius.** *mine Domini Iesu Christi, & propter Christum. Ad hoc excitare te deberet gratia beneficiorum memoria, et si propriam utilitatem, quam intendis, in eo non invenires. Christus nec motum ullum, nec ullam actionem exercuit, quæ propter te creata non fuerit. Ah! te sibi ob oculos semper posuit, neque ad momentum eos a te avertit. An non igitur rationi valde consonum est, ut is omnibus actibus tuis, oculis quoque tuis obversetur? & quemadmodum earum est principium, sic etiam finis sit? dum propter ipsum operaris, tibi laboras.*

*Applica te peculiariter tribus hisce regulis observandis in tuis functionibus; hoc enim est medium ad sublimem perfectionem pertingendi.*

*Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Io. 15. v. 5.*

*Unusquisque vitæ suæ pictor est; manus voluntas, colores virtutes, prototypon Christus. Greg. Nyssen.*





DIES XV.

De Necessitate Meditationis,  
Sive Considerationis.

I.

**S**alutem æternam consequi non possu-  
mus, nisi de ea cogitemus, nisi eam  
consideremus, nisi meditemur. *Desola-  
tione desolata est omnis terra* (propter iniqui-  
tatem) inquit Propheta, *quia nullus est,  
qui recogitet.* Non peccamus, non peri-  
mus, nisi quòd de salute nostra non cogi-  
temus. Si quæras è plerisque damnatorum  
Manibus, cur sint in inferno, responde-  
bunt tibi, causam hanc esse, quòd de eo  
non cogitârint. Majestas Dei, judicium,  
infernus, cælum tanti sunt momenti, ut  
si quis prorsus stupidus non sit, de ijs co-  
gitare non possit, quin moveatur, nec mo-  
veri, quin vitam in melius commutare  
statuat. Cedò; possumúsne salutem con-  
sequi, si Deo non serviamus, si eum non  
amemus? possumúsne eum amare, sicut  
oportet, nisi probè eum cognoscamus?  
qui verò hanc cognitionem assequi possu-  
mus, nisi per meditationem? scelerum  
quoddam diluvium terram inundavit;

quia

Jerem. 12.  
v. 11.



**Iulius.** *quia non est scientia Dei in terra*, inquit Propheta. *Pater sancte, mundus te non cognovit*,  
**Ose. 4. v. 1.** *querebatur Servator Patri suo.* Et hæc ipsa causa est, quòd tam ignaviter tibi serviat, tamque petulanter te offendat. Ignorantia, qua nescitur Deus, plerorumque origo criminum est: sed defectus meditationis est hujus ignorantiae fons, & principium.

II. Ad salutem æternam consequendam non sufficit, Deum cognoscere; sed & oportet cognoscere semetipsum. Hanc Dei, & sui ipsius cognitionem S. Augustinus assidue expetebat. *Noverim me, noverim te.* Ut ad salutem nostram efficaciter laboremus, perfectè cognoscere oportet fundum corruptionis, quæ in nobis est, ut nos deprimamus, nobisque ipsis diffidamus, immoderationes cordis nostri, ut ijs medeamur; propensionem continuam, qua in malum ferimur, ut eam reprimamus; repugnantiam, qua virtutem horremus, ut eam superemus; impotentiam quidquam boni præstandi, ut eam oratione suppleamus; affectum animo nostro dominantem, ut eum impugnemus; perfidias nostras, & continuam beneficiorum oblivionem, ut eas dolore, & pœnitentia nostra sarciamus. Possumusne omnia



omnia hæc præstare, nisi in nos ipsos de-Julius  
scendamus? hoc autem fit per consideratio-  
nem, & meditationem. Sed nunquid id,  
quod eam necessariam reddit, causa quo-  
que est, quæ nos ad eam timendam, & de-  
clinandam impellit? ignorare mala affe-  
ctamus, quibus mederi renuimus.

III. Seipsum, Deumque cognoscere ad  
salutem æternam obtinendam non sufficit;  
sed necessarium insuper est, muneris sui  
partes exactè scire, & implere. Verùm eas  
nunquam implebimus, si eas non amamus,  
quò verò eas unquam amabimus, si earum  
pulchritudinem, æquitatem, utilitatem  
non cognoscimus? hoc autem docet medi-  
tatio. Si probè perspiceremus præstan-  
tiam legis divinæ, amplitudinem bono-  
rum, quæ Deus promittit ijs, qui eam ob-  
servant, gravitatem pænarum, quas mi-  
natur illis, qui legem transgrediuntur; au-  
deremusne illam violare? quò igitur fit,  
ut hæ res tanti in se ponderis, tanti,  
quod nos attinet, momenti, cor  
nostrum tam parùm penetrent, nisi  
quòd eas non cognoscamus bene? Et  
quidnam in exactam earundem cognitio-  
nem perducere nos potest, nisi seriæ con-  
siderationes, nisi frequentes meditatio-  
nes? sic Deus populo suo vehementer com-  
men-

men-



Julius,

mendat, ut diu, noctuque legem suam meditentur, eam semper ob oculos sibi ponant, eam in manibus, sed multò magis in animo, & corde suo semper circumferant; de ea cogitent, dum domi, nec ejus obliviscantur, cum in itineribus versabuntur. quì magis, urgere potuisset? & sanè, si quis non frequenter obligationum suarum recorderetur, citò earum obliviscitur, nec multùm abest, ut violet.

*Statue, tempus aliquod tibi eligere de veritatibus æternis cogitandi.*

Beati, qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum. *Psal. 11. 8. 2.*

Consideratio regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus. *Bern de Confid.*

## DIES XVI.

## De Prædestinatione.

## I.

Súmne prædestinatus? súmne reprobatus? O terribilem, sed inutilem, imò & periculosam quæstionem! terribilis est, quia agitur de re non minoris momenti, quàm mea sit felicitas æterna. Quæstio hæc inutilis est: cur enim cognoscere desiderem, quòd Deus absconditum nobis es-



se voluit? cur penetrare cupiam arcana, *Julius.*  
quæ impenetrabilia esse voluit? Præterea,  
etsi id scirem, an minoris mihi staret salus  
mea? an minùs mihi met ipsi renuntiare,  
sensus meos minùs domare, minùs juxta  
Evangelium vivere me oporteret? ad quid  
ergo conduceret hæc cognitio; nisi, ut re-  
probi pejores, & prædestinati magis red-  
derentur ignavi? imò quæstio nociva est,  
cùm id solummodò possit efficere, ut homi-  
nem in effrænatam vitæ licentiam, vel de-  
sperationem conijciat. Cognoscere vo-  
lumus, cùm adorare debemus; ratiocinari  
volumus, cùm nos submittere debemus;  
turbamus nos, cùm nos deprimere, cùm  
timere debemus timore illo saluari, qui  
dum nos humiles, & ferventes reddit, præ-  
destinatos nos efficit.

II. Summe reprobarus, summe præde-  
stinatus? mitte hanc quæstionem; vel ad  
eam ut respondeas, tibi ipsi dicito: certum  
mihi est, me à Deo amari; possúmne hac  
de re dubitare post signa, quibus amorem  
suum mihi testatus est? Deus pro me mor-  
tuus, an non hujus sufficiens est argumen-  
tum? certum mihi est, eum mihi salutem  
æternam conferre cupere; possúmne de hoc  
ambigere, si de ejus in me amore dubitare  
non possum? possúmne de eo dubitare

D

post



Julius.

post promissa mihi facta, post cautiones mihi præstitas? possúmne dubitare post præcepta, quibus sub pæna incurrendæ suæ indignationis salutem sperare me iustificet? foréne hoc bona fide agere, si me sperare juberet rem, quam mihi concedere nollit? possúmne dubitare post desideria salutis meæ, quæ ipse mihi inspirat, post tot præclara media, quæ mihi suppeditat, saluti meæ consulendi? hisce medijs uti penes me est, & his, si utar, salutem meam in tuto colloco, si ea negligo, in quemnam, nisi in me solum culpam referam? mea hæc culpa est, non verò Dei.

III. Si prædestinatus sum, dicit aliquis, quidquid ago, salutem certò consequar; si prædestinatus non sum, omnes mei labores, omnes conatus inutiles erunt. Misera sanè ratiocinatio, periculosus diaboli laqueus, qui innumeros homines in desperationem traxit, & pessimam vitam. Qui fit, ut de nulla re, quàm de salute tua hunc in modum ratiocineris? an sic loqueris, cum agitur de tua sustentatione, de tua fortuna, de tua promotione, de tua sanitate? dicisne, si Deus decrevit, ut ego vivam, ut me sustentem, ut promovear, ut sanitati restituar, id certissimè fiet? cui igitur coner prospicere sustentationi meæ,

sta-




statui meo , promotioni meæ , sanitati Julius.  
meæ recuperandæ ? an non hominem ,  
qui hunc in modum ratiocinaretur , ratio-  
nis expertem judicares ? ésne tu illo pru-  
dentior , si id ipsum agas in negotio salu-  
ris tuæ ? hic homo , dices , poterit se su-  
stentare , statum suum firmare , ad conditio-  
nem meliorem evehi , si animum applicare ,  
si laborare , si medijs aptis uti velit , qui-  
bus res suas ad felicem exitum perducatur .  
Et cur non eundem in modum argumen-  
taris de salute tua ? quænam hujus esse ra-  
tio potest ? & quidnam inter hæc discrimi-  
nis est ?

*Stude nunquam te implicare quæstionibus  
hisce periculosis æquè , ac inutilibus de Prædesti-  
natione , sed consilium divi Petri sequere ; stude  
nempe prædestinationem tuam bonis tuis operi-  
bus certam reddere .*


Satagite , ut per bona opera certam ve-  
stram vocationem faciatis . 2. Petri . 1. v. 10.

Quare illum trahat , & non illum tra-  
hat , noli judicare , si non vis errare : semel  
accipe , & intellige , nondum traheris ; ora ,  
ut traharis . *Aug. in Ioan.*





Julius.



## DIES XVII.

## De Præcepto Eleemosynæ.

## I.

**E**leemosyna opus est obligationis, & non solum condecenciæ. Deus id suasisse non contentus, etiam præcipit; cum ad inferorum pœnas condemnet eos, qui hîc deficiunt: *Esurivi enim, inquit Servator in persona pauperis, & non dedistis mihi manducare. Ite igitur in ignem æternum.* Hoc torum scelus erat perverſi illius divitis. Evangelium certè non memorat, eum fuisse violentum, vel injustum; sed in pauperes durum: atque hoc satis est, ut inferorum barathro mancipentur. Debitum divinæ Majestati tributum præstare de nostris bonis debemus: quocum ipsi opus non sit, omne suum jus in pauperes transfert. Hoc est unicum illud sacrificium, quod Deus à nobis in posterum exigit; nempe Sacrificium misericordiæ, omnibus alijs per novã legem abolitis: sed hoc sacrificium misericordiæ in pauperes est sacrificium justitiæ, quod Deo debemus. Ac proin Eleemosynam non facere, furari est. Hoc est illud tributum, quod

*Honora Dominum de tua substantia. Matth. 23. 1. & 4. Misericordiam volo, & non sacrificium. Matth. 9. v. 31. Eleemosynam pauperis ne defraudes. Eccl. 4. 1.*



quod Deo, ut supremo nostro Principi pen-  
dimus; pauperes sunt tributorum exacto-  
res; eorum manus sacrum ipsius aerarium:  
tributum eis negare, est contra Principem  
suum rebellare: dives bonorum suorum  
non nisi Oeconomus; Deus verò eorum  
Dominus est. Oeconomus furatur Do-  
mino, si bona ipsius alendæ ejus familiæ  
non impendat.

Julius.

*Manus patris  
peris Gazo  
phylacium  
Christi  
Chrysof.*

II. Pauperibus stipem elargiri debemus,  
ut Providentiam divinam quodam modo  
eximamus obligatione, quæ ei incumbit:  
Deus cum sit Pater omnium hominum,  
providere tenetur eorum sustentationi:  
quod quidem per seipsum præstare posset,  
si bona æqualiter divideret hominibus:  
sed regulæ sapientiæ ipsius cum hac æqua-  
litate non conveniret: si enim inter illos  
æqualitas foret bonorum, potestate quo-  
que æquales esse vellent; nec ulla foret in-  
ferioris erga superiorem submissio; nec  
quod inde sequitur ullus ordo: necessa-  
rium proinde fuit, ut saltem pauperibus  
certus fundus tribueretur. Ubinam is es-  
se potest, nisi in misericordia divitis? an  
non Deus eum necessariò ad hoc obligare  
debebat? id enim nisi fecisset, pauperem  
omni certo fundo destitutum reliquisset,  
& quod sequitur, certum quoddam genus



Julius.

1. Cor 8

v. 12.

juris de providentia divina conquerendi eidem tribuisset? *Abundantia vestra*, (nempe divitum) inquit Apostolus, *illorum (pauperum) inopiam suppleat: & superflua divitis sunt necessaria pauperis.* Ea proin ei negare, quodammodo furari est. Panis iste, qui apud te corrumpitur; argentum illud, quod inutile tibi est, tuum non est, inquit S. Basilius: si pauper ob defectum auxiliij perit, tu de morte ipsius reus es: *non pavisti, occidisti.* Ipsi miseria vindictam à Deo petit adversus duritiam tuam, & ipsam adversus te misericordiam armat. Si verò misericordia ipsa te damnat, quò confugies?

III. Duritia divitum rationibus, ad se purgandam, nunquam caret. Tempora, inquiunt, misera sunt. At ob hanc ipsam rationem pauperes plus pati debent, tuâque ope magis indigent. Et cur tempora sunt misera, nisi quia tu ipse miser, nempe peccator es; qui verò iram divinam mitigare facilius, ejusque misericordiam tibi conciliare potes, quàm misericordiam exercendo? miseriæ temporum non recordamur, ubi luxui, cupiditatique nostræ indulgendum: misera nunquam sunt, nisi ubi Christo aliquid elargiendum, eique superflua impendenda. Sed, ubi est, inquiunt,  
su-




superfluum quid? nemo hodie superflua <sup>Julius</sup>  
habet: superfluum nihil est avaritiæ, vani-  
tati, ambitioni; at multum modestiæ, &  
charitati: moderare huic cupiditati, & su-  
perflua invenies; recordare, te Christia-  
num esse, & hoc ipso nomine obligari ad  
renuntiandum luxui, & pompis sæculi:  
invenies in hujus renuntiationis praxi, ad  
quam obligaris, fundum sufficientem, quo  
pauperum necessitati provideas: lusus, &  
vitæ intemperantia multas familias ad in-  
citas reducere; at, putasne ullam unquam  
fuisse, cui misericordia in pauperes nocue-  
rit? & quàm multi inveniuntur, quos ea  
in pristinum felicitatis temporalis statum  
restituit?

*Certas statue, si per conditionem tuam licet,  
Elemosynas elargiri: copia bonorum tuorum,  
& pauperum necessitas regulæ instar tibi sunt.*


Declina pauperi sine tristitia aurem  
tuam, & redde debitum tuum. *Eccli. 4. 8.*

Fidem tuam interroga, vide, si velis illi  
credere: an securus es de servo tuo, & so-  
licitus es de Domino tuo. *Aug. in Psal.*





Iulius.



## DIES XVIII.

## De Statu Languoris in vita Spirituali.

## I.

**A**Nimam æquè, ac corpus languor afficit. Et effectus, quos status iste languoris in corpore procreat, exprimunt effectus, quos languor spiritualis profert in anima. Primus effectus languoris corporei est ingens quoddam fastidium optimorum ciborum, & aliquoties inordinata deteriorum orexis. Sic anima funesto hoc languore affecta, in miseram labitur nauseam rerum optimarum, orationis, lectionis, & ipsius sacrae Communionis; instar Israëliitarum averfatur manna, & ad allia Ægyptiaca adspirat; tam cupida periculorum animi relaxationum, omniumque eorum, quæ illam à Deo avertere, quàm infensa omnibus ijs, quæ eam ad Deum adducere possunt. Alter effectus morborum languentium est formidandus horror remedium, quæ hactenus suo caruere fructu: sic anima adeò ignava nihil tam averfatur, quàm remedia saluberrima, quòd ea sibi inutilia esse experiatur; quòd sibi persuadeat



deat, cum illa remedia mala sua praevertere non potuerint, sufficientia quoque non fore illis avertendis. Iulius.

II. Tertius languoris in corpore effectus est imbecillitas quaedam inusitata, ita, ut homo movere gradum sine magno conatu non possit, & minimus nisus ei labor intolerabilis videatur. Sic anima repida, cum debilis, & languida sit, vix imperare sibi potest, ut pedem, si ita dicere licet, moveat ad aggrediendam, & proficendam viam Domini. Omnia ei opera difficilia creduntur; minimae difficultates videntur ei obices insuperabiles; virtutes facillimae ipsius iudicio exerceri non possunt. Jugum Christi quantumvis leve, videtur ei intolerabile: & sicut aeger, qui hac imbecillitate laborat, si ambulat in declivi, & lubrica praecipitij cuiusdam summitate, non potest non cadere, cum vel leviter impellitur; sic licet vel parum violenta sit tentatio, quae hominem aggreditur in hoc statu languoris constitutum, poteritne illi resistere? poteritne illi non succumbere? nunquid inde profluxit peccatum grave, in quod prolapsus es, vel ex quo fortassis necdum emerfisti, impediente resistiscentiam eadem debilitate, quae te ad lapsum impulerat?

D 5 III. Quar-



Iulius

III. Quartus effectus languoris in corpore, est debilitas, & tedium; estque idem effectus, quem in nobis progignit languor animæ. Hæc morositas tædiosa oritur primò è secretis conscientiae lancinationibus. Homo videt, se nec Deo, nec hominibus facere satis; & quò sibiimet satisfaceret? secundò è difficultate, quam experitur in certis muneribus obeundis, quibus, licèt repugnante ignavia sua, eximere se non potest, & denique ex eo, quò nec habeat solatia è cælo, quia ipsius perfidiæ eum illarum reddunt indignum; nec solatia è terra, propterea, quò status ipsius, & conscientiae angores illis eum gaudere non sinant. Ultimùs denique languoris in corpore effectus est desperatio curationis, & quidem desperatio talis, quæ non penitus injusta videtur; utpote, quæ nititur mali diuturnitate, ejusdemque pertinacia; quæ, cum in dies augeatur, magis, magisque animam impotentem reddit ad magnos conatus sibi imperandos, qui tamen necessarij forent, ut malo tam inveterato se expediret. Ah Domine! cum tam multum de hoc statu participem, an non desperationi immergere me deberem, nisi remedia in misericordia tua invenirem, malum meum longè superantia?

Cont-



Considera te velut ægrotum tanto tempore Iulius.  
jam languentem, & confuge ad Dominum no-  
strum velut Medicum charitate plenum.

Miserere mei, Domine, quoniam infir-  
mus sum. Psal. 6. 3.

Necesse habent mittere manum ad o-  
pera fortium, qui cibo fortium minimè  
sustentantur, socij tribulationis; sed non  
& consolationis. Bern.

---

DIES XIX.

Prærogativæ E Christi Imita-  
tione Resulantes.

I.

CHRISTUS in mundum venit, ad reparan-  
dam Patris sui gloriam, eamque fir-  
mandam supra exitium, & ruinam suo-  
rū, nostrorūque hostium. Is invitat nos ad  
sequendum se in hac pugna contra hostes  
Dei, quid æquius? ad confligendum cum  
proprijs hostibus, qui in interitum no-  
strum conjuravêre, quid magis nos animet?  
ad reparandam Dei gloriam; quid homini  
gloriosius? ad sequendum Deum - Homi-  
nem; quid potentius nos alliciat? Con-  
ditiones, quas Christus nobis offert, ut  
nos ad se sequendum impellat, non minus  
sunt



Iulius.

sunt ad persuadendum efficaces. I. non petit, ut in sancto hoc bello ullus eorum, qui sub ejus signis pugnabunt, minùs bene tractetur, quàm ipse, nec in ullum se periculum conijciat, si non id ipsum à Duce suo fieri conspexerit; non exigit ab eo ullam actionem, cujus non ipsemet in occasione difficiliore præbuerit exemplum.

II. Et verò si te invitat ad portandam post se crucem, æquabitne Crux tua pondere crucem ipsius? si te hortatur ad vim animi tui motionibus inferendam, exigitne, ut secum ad sudorem usque sanguinis labores? si te obligat ad injurias, quibus afficeris, remittendas; sùntne eæ tantæ, ut æquent illas, quas ipse inimicis suis ignovit? an unquam occasiones habebimus exercendi patientiam, quæ comparari possit illi, quam ipse inter cruciatus suos exercuit? sùntne contemptus, quibus vult, ut submittamur, similes illis, quos ipse in morte sua pertulit? 2. omnibus supeditat sumptus ad hoc sacrum bellum necessarios, ad quod nos obligat; opem suam ad id nobis promittit, & offert; nec nisi modicum quid exigit fidelitatis, gratijs suis respondendi; & modicum quid bonæ voluntatis; licet is plus, quàm nos ad bonam hanc voluntatem conferat. *Dens e-*

17112



nim est, teste Apostolo, qui operatur in nobis Julius  
& velle, & perficere.

III. Is nobis victoriam pollicetur, modo dimicare velimus. In alijs conflictibus, generosi simul, & infelices esse, fortiter pugnare, & nihilominus vinci possumus: in hoc verò, si resistimus, victoriã semper potimur, & quantumvis hostes nostri fortes sint, eis tamen, si velimus, resistere valemus. Denique Christus Rex noster, cum victoriã sibi uni vendicer gloriam, omnem tamen ejus fructum relinquit nobis; sed quem fructum? felicitatem æternam, felicitatem infinitam. Ignavus igitur, vel penitus cæcus sit, oportet, qui hisce sibi oblatis conditionibus, Christum sequi detrectet. Eheu! Principes terrenos ad bellum quotidie sequimur, etsi labores, & pericula infinities majora, stipendia levissima, & parùm certa, successus verò incertissimus. Et Christiani Christum sequi recusant ad conditiones adeò honorificas ijs, qui eum sequi avidissimè debent, licet alia merces, præter gloriam, ipsum sequendi, speranda non foret. Ah! ignavia tua fat ostendit, quàm parùm hac gloria moveri te sinas. At si temetipsum amas, fieri ne potest, ut proprijs non moveare commodis?

Philipp. 2.

13.

Probè



Iulius

Probè examina conditiones, quas Christus tibi proponit, ut te ad se sequendum alliciat: & erubescere de socordia, vel potius stultitia tua, dum hactenus eum sequi renuisti conditionibus adeò gloriosis tibi oblatis.

Siquis mihi ministrat, me sequatur.  
*Joan. 12. 16.*

Noli deficere in via angusta; ego prior transij; ego sum ipsa via, ego duco, in me duco, ad me perduco. *Aug. in Psal. 70.*

## DIES XX.

De Necessitate Crucem suam  
portandi.

## I.

**D**URUM est portare Crucem suam, & durum eam tolerare; naturæ nihil magis adversum, nihil sensibus molestum magis; rationem nihil magis excedit; at nihil fidei luminibus, & Evangelij axiomatis magis consentaneum: si cogitemus nos Crucem nostram post Christum portare, omnem, quam experimur, repugnantiam superamus: si cogitemus, nos eam cum Christo portare, repugnantia in ea ferenda quiescit: si verò cogitemus, nos eam pro Christo portare, delicias etiam in

ea



ea invenimus. Quævis difficultas, quam in Iulius.  
ea toleranda sentimus, ubi recordamur,  
Christum Crucem suam nobis præferendo,  
exemplum præbere, ita evanescit, ut na-  
turæ adversantis motus non amplius au-  
diamus, nec quidquam percipiamus, nisi  
vocem Servatoris, qui nobis dicit: *si quis* Luc. 9. 23.  
*vult post me venire, tollat crucem suam, & se-*  
*quatur me.* Movemur felicitate, & glo-  
ria, quam in Christo sequendo invenimus,  
ut difficultatis, quam perpetimur, oblivis-  
camur.

II. At neque difficultatem in Cruce no-  
stra ferenda experimur, si recordemur,  
Christum eam nobiscum portare. Crux  
jugum quoddam est; duobus proin opus  
est, qui illud portent: nos cum imbecil-  
les, & ignavi simus, ponderi succumbe-  
remus, si soli essemus. Itaque Christus se  
nobis associat, in ea ferenda nos adjuru-  
rus; hoc ipsum impulit, ut diceret, jugum  
suum suave esse: insuper jugi hujus pondus  
in se suscipit, levioere nobis relicto; quin  
& levius hoc pondus magis eum, quam  
nos premit. Unctio, & gratia, quam ju-  
go nobis imposito superaddit, id perquam  
mitigant. Annon causam habemus Si-  
monis illius Cyrenæi felicitati invidendi,  
qui Christo in Cruce sua portanda sociam  
præ-



Iulius.

præstitit operam? an felicitas nostra minor est, si Crucem cum IESU portamus? ipse eam portat nobiscum, ut nos subleuet. Leviozem illam reddes, si eam lubens cum ipso portes.

III. Si verò Christum amamus, crucem non modò sine difficultate ferimus, memores, Christum eam nobiscum portare, sed gaudio quoque perfundemur, si meminerimus, nos eandem pro ipso portare. Videre, illum pati, quem amamus, nec eum sublevare posse, verum est Martyrium; sed pati pro illo, quem amamus, eique per hoc sincerè, generosèque amorem suum testatum facere, maxima voluptas est. Vita sine Cruce, est inter omnes Cruces maxima animæ Christum amanti, inquit S. Franciscus Xaverius. S. Theresia affirmabat, hanc vitam, quòd in ea Deum videre, & possidere non posset, intolerabilem sibi fore, si ea sibi non suppeditaret occasiones aliquid pro Deo patiendi; atque hanc solam ob rationem, vitam hanc tolerabilem sibi videri. Amare Deum debemus, ut huiusmodi animi motus sentiamus, & ad Crucem æquè afficiamur; amare etiam debemus, ut eos penetremus; si verò tales habeo, vel eos non penetror, amore erga Deum vel careo; vel amor

iste



iste imbecillis est, vel certè suspectus esse <sup>Julius.</sup>  
mihi debet.

*Confundere, quòd tantopere Crucem horreas;  
cùm hoc sit signum, te Christum non amare, vel  
parùm amare.*

Si quis vult venire post me, abneget se-  
met ipsum, & tollat Crucem suam quoti-  
die, & sequatur me. *Luc 9. 23.*

Tota igitur vita Christiani, si secundùm  
Evangelium vivat, Crux est, atque Marty-  
rium. *Aug. Serm. 32.*

---

DIES XXI.

De Misericordia Dei Pecca-  
torem Quærentis.

I.

**M**iratur Propheta, Deum non solum  
voluisse de homine cogitare, sed ed-  
usque se demittere, ut eum quæreret. Ac  
longè majore dignum est admiratione, si  
consideremus modum, quo eundem quæ-  
rit. Primò Deus hominem prior quærit,  
etsi ab eo offensus sit. Evangelium, licet  
amorem erga inimicos præcellentem im-  
reret, eum tamen ed usque non extendit.  
præter Deum infinitè misericordem nemo

E est,



**Julius.**

est, qui talem exercere misericordiam queat. Deus primum versùs peccatorem gressum movet, Ah! si id non faceret, de peccatore actum esset: potest is quidem proprijs viribus à Deo recedere, sed, ut ad eundem redeat, gressum movere minimè potest: necesse est, ut Deus omni modo eum præveniat. Peccator ad ipsum venire non potest, nisi ab ipso invitatus, & tractus: necessarium est, ut is ipse, quem coegit sibi esse inimicum, ei gratiam impertiat, quò eundem placare possit; necessarium est, ut Deus peccatorem urgeat ad petendam à se veniam, quò ejus obtinendæ fiat capax. Quis unquam audivit, quòd iudex aliquis reum roget, ut gratiam accipret? hoc autem Deus facit, cum te ad pœnitentiam invitat. Quis un-

*Obsecramus  
vos reconcili-  
amini Deo  
2. Cor. 5. 20.*

quam audivit, quòd reus gratiam à iudice oblatam acceptare noluerit? id tu facis, si agere pœnitentiam detrectas.

II. Secundo, Deus peccatorem sollicitè quærit, etsi eo non indigeat: si nos omnes in nihilo nostro, vel inferno sepulti essemus, Deus ea re nec minor, nec minùs beatus esset: interea si considerares ardens desiderium, quo Deus peccatorem quærit, diceres, ejus felicitatem ab amicitia hominis pendere: nulla desideria im-



moderatè amantis, nullæ inquietudines  
Matris tenerrimæ æquant desiderium, quod  
Deus ostendit in quærenda anima infideli,  
nec inquietas curas, quas præsefert ob ejus  
aberrationem, & jacturam. Parabola  
boni pastoris, & desiderium, quo ovemer-  
rantem quærit; ardor, & inquietudo,  
qua fæmina in Evangelio drachmam, quam  
perdiderat, inquit; insolita lætitia unius  
ob repertam, quæ erraverat, ovem; alte-  
rius ob recuperatam drachmam figura est il-  
lius, quam Servator noster exercet, soler-  
tiæ in quærenda anima infideli, & lætitia,  
quam eâ inventâ concipit, figura est, in-  
quam; sed admodum tenuis. Quanta  
hæc tui confusio est, quæ non modò Dei re-  
quærentis solertia non tangeris, sed fors  
etiam imprudens obices ei ponis. Nun-  
quid etiamnum eos ponis? uter ex tua ad  
bonam frugem conversione plus percipit  
commodi, Deus, an verò tu?

III. Tertio Deus peccatorem quærit  
benignè, & obsequiosè, etsi sit ipse Do-  
minus. Servi officium est, Domino suo ob-  
sequium præstare, non autem Domini, ob-  
sequi servo: Deus est Dominus, grandis  
Dominus; & tamen, quantum ejus obse-  
quendi studium erga peccatorem? obser-  
vat tempus, ejus genio condescendit, men-



Julius

tem ejus suaviter disponit, propensionibus se accommodat, ipsius infirmitatibus cedit: in Evangelio piscatoribus non loquitur, nisi de piscibus; hominibus opum cupidis non nisi de commercio, & thesauris: ambitiosis non nisi de bello, & regno; non nisi de amore & dilectione cordi tenero, quale erat illud Magdalenæ. Ille, inquit S. Chryfologus, qui omnia fecit, omnia tibi se facit; immutabilis cum sit, mutabilis quodammodo evadit, ut te mutet; & omnis generis figuras induit, ut in ijs inveniat unam, quæ commodum sibi in cor tuum aperiat aditum. Animas proprii commodi amantes attrahit spe remunerationis, timidos timore, illas, quæ generosiores sunt, gratâ beneficiorum memoriâ. Pluribus tibi non opus est, quàm ut vitam tuam examines, quanta specimina admirandæ erga te indulgentiæ, & singularis providentiæ ibi non deprehendes? at quanta tua non est obligatio, ijs respondendi?

*Cum tuus ad Deum per veram conversionem reditus tantum Christo gaudium afferre potest, quid est, quod eâ illum defraudes; cum tamen in eo tuum invenias commodum?*

Erravi sicut ovis, quæ periit. *Psal. 518. 196.*

Deus vita mea, qui persecutus es fugientem te, & oblitum tui non es oblitus. *Aug.*

I. Conf

DIES



## DIES XXII.

**Conversio S. Mariæ Magdale-  
næ exemplum est, gratiæ divi-  
næ perfectè respondendi.**

## I.

**S**I Deus peccatorem quærit, æquum est ;  
ut peccator ei obsecundet, tantæque  
cura obsecundet, quanta à Deo quæritur.  
Solicitude Dei animam infidelem quæren-  
tis est sollicitudo præveniens ; proinde ei a-  
nima promptè respondere debet. Ratio-  
ni perquam consonum foret, ut prævenire-  
mus Deum gratiosè nos prævenientem.  
At hoc fieri nequit : gratia enim gratia esse  
cessaret, si præveniens non foret ; necessa-  
rium proin est, ut, cùm eam prævenire  
non possimus, grato saltem animo prom-  
pti sequamur. Dignitas illius, qui nos  
quærit, indignitas nostra, propriumque  
commodum ad id nos obligant. Aliquo-  
ties vel ad momentum tergiversari, est vel  
omnia in discrimen conijcere, vel penitus  
perdere : quanti non stetit sponsæ, quòd  
distulerit aperire januam sponso tam in-  
stanter id perenti ? vix enim postea eum  
invenit, licet sollicitè quæsitum, non abs-



Julius.

que periculo, eum penitus non ampliùs reperiendi. Virgines fatuæ, quòd unico momento tardiùs venerint, januam clausam reperere. Magdalena, cujus hodie festa dies agitur, prudentior fuit, nec ad momentum distulit, *ut cognovit.* Hæc, ut primùm IESum novit, pia quadam impatientia, ad ipsius pedes sese abjectura, eum quærit, currit, volat: momenta ei anni videbantur, nec creaturæ, nec amores, nec hominum iudicia, aut respectus, nec cavillationes, verbo, nihil eam moratur, unice attentam gratiæ se vocantis, reliquis omnibus posthabitis.

II. Si sollicitudo, qua Deus animam infidelem quærit, conjunctum sibi habet ardens desiderium, necessarium est, ut ei ferventer respondeamus. Spiritus Sanctus, qui auctor est hujus in quærendo sedulitatis, spiritus est ardoris, nec animæ frigidæ, aut ignavæ se accomodat. Gratia est ignis, quem mundo illaturus Christus ipsemet venit: si ignis iste in cor frigidum, vel glaciatum cadit, illicò extinguitur. Hic fervor cernitur in Magdalenæ Conversione. Quantus ardor! omnia Deo consecrat, amatores, voluptates, mundum; omnia nauci pendit; Deus ipsi omnia est. IESu suo unice occupata, sui ipsius oblita,

pæ-



pœnitentiæ suæ servire jubet omnia, quæ Iulius  
peccato serviêre; oculos suos, qui tot im-  
puros in cordibus ignes excitârunt, ad la-  
crymas damnat, queis pedes Servatoris sui  
laver; quos dein capillis suis tergit, ut hi,  
qui vanitatis suæ fuerant Instrumenta, pœ-  
nitentiæ suæ instrumenta fierent. Qua-  
lis fervor! An eam pœnitentiâ tuâ imita-  
ris? an illam Apostoli admonitionem se-  
queris? *Neque exhibeatis membra vestra arma*  
*iniquitatis peccato; sed exhibete vos Deo, tan-*  
*quam ex mortuis viventes, & membra vestra,*  
*arma justitiæ Deo.* Quàm longè ab ea abes!  
pœnitentia tam ignava, qualis tua est, me-  
returne vel nomen pœnitentiæ? an non  
potiùs tibi novam pœnitentiæ agendæ  
causam præbet?

Rom. 6, 13.

III. Denique si sollicitudo, quam Deus  
quærendo peccatori impendit, ejus se ge-  
nio accommodat, necessarium est, ut &  
tu ipsius te voluntati, gratiæ respondendo  
accommodes. At satis non est gratiæ  
respondere, sed eo modo respondere oportet,  
quem gratia nobis inspirat: satis non  
est Deo se consecrare velle, sed eo modo ei  
se consecrare oportet, quo ipse cupit. Si  
Magdalena sibi indulgisset, si aurem ratio-  
nibus humanis præbuisset, si expectare vo-  
luisset, dum locum magis separatum,

E 4 quàm



Julius.

72 *Considerationes Christianæ*

quàm apertam Pharifæi domum, & tempus  
comodius, quàm illud convivij, invenisset,  
forſan gratia ei ſe ſubduxiffet; ſi ſua dun-  
taxat turpia commercia moderari, neque  
tamen ſe penitus iſdem abdicare, Chri-  
ſtum ſequi, neque tamen mundo proſus  
valedicere voluiſſet, Servator omnibus e-  
jus inclinationibus ſe non accommodaſſet  
voluit enim, ut ea totam ſe ſibi immola-  
ret, & quemadmodum ea nihil ſibi im-  
negavit, cum ſuis cupiditatibus ſatisfacere,  
& genij ſui propenſionem ſequi vellet; ſic  
volebat Chriſtus, ut ſine exceptione age-  
ret, cum Deum ſequi, eiſque ſatisfacere o-  
por-tebat. Fecit id, atque idcirco perfe-  
cta ejus pœnitentia fuit, qua ſeipſam ma-  
gis oderat, quàm amârat, & magis Deum  
ſuum dilexerat, quàm mundum amave-  
rit. Quàm inſigne hoc eſt pœnitentiæ e-  
xemplar! at quàm pauci id imitantur!

*Forſitan Magdalena imitatus es perveniſti-  
nem; ſtatue proin imitari ejus pœnitentiam, &  
præclaro huic exemplari probè ſtudere.*

Remittuntur ei peccata multa, pro quo-  
niam dilexit multum. *Luc. 7. 74.*

Væ tempori illi, in quo te non amavi!  
Væ tempori illi, in quo te graviter offendi!  
*Aug. 1. Soliloqui.*

DIES







Julius.

nisi Deus eum singulis momentis gratiâ suâ sustentet? ah Domine! si vel ad momentum me deseris, perij.

Rom. 7. 15.

II. Considera S. Paulum; quantum virum! quàm sanctum, quantum Apostolum! & tamen, postquam raptus fuit ad tertium usque cælum, luto se immersum deprehendit, ob difficultatem, quam ei fecit funesta illa lex membrorum. Vir iste tam antè Christo unitus, qui asseverat, nihil esse, quòd ipsum ab illo separare possit, turpi cupiditati, miseræ illi peccati captivitati subjectum se sentit, ut ex ea se eripere vix potuerit: is non facit bonum, quod vult, sed malum; quod non vult, & licet homo iste novus Christo *confixus sit Cruci*, se tamen omnibus veteris hominis imbecillitatibus etiamnum obnoxium esse fateretur. Denique sincerè agnoscit, nihil esse præter solam Iesu Christi gratiam, quòd ipsum à miserijs suis liberare queat. Atque hoc est, quod ei sui despiciendi ansam præbet. Si verò ipsius miseræ & imbecillitates eum humilem reddidère, tum vis gratiæ, cui innitebatur, in eo & fiduciam, & consolationem excitabat; atque hanc in nobis quoque excitare debet.

III. Si tantus Apostolus eò miseriarum deductum se deprehendit, quid nobis

sen-



Certe de quocunque homine, quantumvis virtutibus præditus esse videatur, cogitandum nobis, inquit S. Augustinus, nullum esse hominem, qui sibi metipso, propriæque imbecillitati relictus, non posset in quodcunque scelus delabi, quod ab alio homine commissum fuit. Aliud ferè discriminè non est hominem sanctum inter, & magnum peccatorem, nisi quod illi concessa fuerit gratia, isti negata; aufer hanc, & æquales erunt. Deus certas rerum circumstantias vider, in quibus si collocaret hominem pientissimum, sceleratissimus evaderet; gratia protectionis omnes ei virtutes, omnemque felicitatem affert. Pauci inveniuntur inter probos, qui dicere cum Phariseo, sensu tamen prorsus diverso, non possint: gratias ago misericordiæ, & auxilio tuo, quod non sum, sicut iste effrenis animi homo, sicut impius ille, sicut libidinosus ille. Et cum S. Augustino: grates tibi ago Domine, non tantum ob peccata, quæ admisi, à te mihi remissa, sed etiam ob illa, quæ ideo non commisi, quia gratia tua ab ijs committendis me impedijt: fateor enim, nullum esse crimen, in quod prolapsus non fuisset, si Dei gratia ab eo perpetrando me tuita non fuisset.

*Si motus sentis superbiæ, alia re opus non est,  
nisi,*



Julius.

nisi, ut in teipsum descendas, atque consideres miserias, & imbecillitates tuas: ibi reperies, quo superbiam tuam retundas,

Quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Iesum Christum. Rom. 7. v. 24. & 25.

Nullum est peccatum, quod fecerit unus homo, quod non possit facere alter homo, si desit rector, à quo factus est homo. Aug.

## DIES XXIII.

## De Exuendo in Mundum affectu.

## I.

Salutem æternam consequi non possumus, nisi Christiani simus; Christiani verò non sumus, si spiritum Christi non habeamus, si spiritui mundi non renuntiemus, si ab eo non recedamus. Spiritus Christi, & mundi maximè sibi oppositi sunt, & non magis, quàm lux, & tenebræ sociabiles. Quæ enim societas luci ad tenebras, quæ conventio Christi ad Belial? inquit gentium Doctor. Idcirco S. Ioannes Christianos hortatur, ut mundum non ament, propterea, quòd mundi amor cum amore

Chri.

*Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius.*  
Rom. 8. 9.

2. Cor. 6.  
15.



Christi non conveniat. Et S. Iacobus affirmat, nos mundi amicos fieri non posse, quin Christi inimici evadamus, dumque amicitiam cum uno contrahimus, alterius odio certissimè nos exponi. Lubérne mundi amicitiam tanto pretio emere?

II. Christus Dominus ipsemet efficacius se explicat, quod attinet ad oppositionem, quæ inter ipsum, & mundum intercedit; dum affirmat fieri non posse, ut mundus accipiat Spiritum Sanctum; dum nec seipsum ( id est Christum ) suscipere voluit: item Regnum suum non esse de hoc mundo, neque se de hoc mundo esse, neque à mundo fuisse cognitum; vel, si ab eo cognitus fuerit, id factum non fuisse, nisi, ut ejus odia, & persecutiones. incurreret. Præterea asseverat, se non venisse in mundum, nisi, ut eum judicaret, & veluti corruptum condemnaret; propterea dicit, se pro mundo non orare; etsi pro tortoribus suis oraverit. *Non pro mundo rogo.* Tantùm abest, ut pro mundo oret; ut etiam execratione in eum fulminet! *Væ mundo.* Quanta igitur cæcitas est Christianorum, qui ad purgandam suam vivendi rationem jactant, hunc esse mundi morem? atque hac ipsa de causa non ita te mundo accommodabis; cum in Baptismo promiseris, te mundo re-

nun-

Julius.

*Si quis diligit mundum, charitas Dei in eo non est.*

*1. Ioan. 2.*

*v. 15.*

*Io. 14. v. 17.*

*Io. 18. v. 36.*

*Io. 17. 9.*



Julius.

nuntiaturum. Credisne, cum ad Christi tribunal compariturus es, hanc excusationem apud ipsum legitimam fore? si dixeris, re, si ei displicueris, id fecisse, ut mundo, crudeli nimirum ejus inimico placeres? Et hæc ipsa ratio est, dicet tibi, ob quam te condemno. Servum Christi, & mundi mancipium esse, certum mihi est, inter se convenire non posse.

III. Apud omnes in confesso est, mundum esse Christi inimicum: id negare, esset Evangelium mendacij arguere. Nihil tamen æquè difficile est, quàm sincere fateri, nobis cum mundo secretum intercedere commercium. Facilius nihil est, quàm mundi condemnationi generatim subscribere: quò enim justum dicamus illum, quem sapientia æterna condemnat? sed nihil æquè difficile est, quàm ejus axiomata singillatim damnare, ubi ea vitæ nostræ regulam nobis proponimus. Nihil Christiano facilius est, quàm speculatione agnoscere, mundo esse renuntiandum. Christus id nobis præcipit, ad id nos in Baptismate obligamus; sed in praxi nihil tam difficile, & raram est, quàm illi penitus nuntium remittere. Quid mundi nomine intelligendum existimas? intellige immoderatum bonorum, deliciarum,

&amp;



& honorum amorem. Si triplicem hunc amorem habes, verè de mundo es, & unà scopus execrationum à Servatore fulminataram. *Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram.* *Væ vobis, qui ubique primas sedes prensatis. Quid clariùs? quid potentiùs? si Spiritum mundi habes, Spiritum Christi non habes; si Spiritu Christi cares, Christianus non es. Si verò Christianus non es, quid nisi reprobus es?*

Juliae  
Qui consolationem vestram habetis. & va divinum Bern.  
Luca. 11.  
v. 43.

*Scrutare cor tuum, ut ejus cupiditates cognoscas; & inde judica, an id ad mundum, an verò ad Christum pertineat.*

*Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt.* 1. Io. 2. 15.

*Non vis relinquere mundum? relinquet te mundus.* Aug. Serm. 345.

DIES XXV.

Exercitium Mortificationis Christianæ.

I.

**V**oluptates sunt prima mortificationis Christianæ materia. His moderari illius scopus est. Hæc nos obligat ad eas penitus coercendas; cur enim delectationē



Iulias,

capiamus ex actione, quæ gloriam aufert Deo, & nobis infelicitatem affert æternam? hæc nos obligat, ut nobis potissimum interdiciamus periculosis voluptatibus. Quis enim hominum vesci cibo vellet, quantumvis grato, quantumvis sapido, si timendi causam haberet, ne is veneno sit infectus? mortificatio efficit, ut modum ponamus voluptatibus, vel immoderatis, vel nimium continuis. Remissiones animi sunt media infirmitati nostræ à Deo concessa; sed remedia non erunt amplius, si in consuetudinem transierint. Deliciæ sunt laxamenta fatigationibus corporis, & applicationi spiritûs destinata; si quis semper quiesceret, vel animum recrearet, haberetne quiete, & animi remissione opus? denique mortificatio nos obligat, ut abstinemus voluptatibus etiam innocentissimis, eum in finem, sicut S. Gregorius ait, *ut, qui per illicita cecidimus, etiam à licitis abstinendo resurgamus.*

II. Alterum mortificationis objectum est, gubernare, & dirigere omnes hominis facultates, & potentias. Hæc moderatur animo inquieto, & curioso. Hæc motus cordis, desideria, affectiones, gaudia, timores, aversiones dirigit; hæc effrenatam licentiam, phantasiæ evagationem

re-



reprimat. Hæc motus vel immoderatos, Julius, vel nimium vivaces affectuum nostrorum coërceat; hæc eosdē impedit, ne lumina rationis, & imperia voluntatis prævertant; si erumpunt, eos vel revocat ad officium, vel castigat, subducendo objecta, quæ eos excitârunt. Mortificatio cæcos animi imperus coërceat, amoris proprii motus observare satagit, quibus res quasvis rectè, ingeniosè, & perpetim in suum comòdū detorquere solet. Hæc sensibus invigilare studet, ad reprimendas eorū evagationes, vel impediendos funestos eorū effectus: hæc denique nos obligat ad refrænandā carnē, ut animo subiecta sit, ad eam castigandam, si insultet, ad eam severiùs excipiendam, cum rebellis insurgit; & denique ad eam tractandam non solum, ut mancipium rebelle, & insolens, sed & dominandi cupidum.

III. Mortificationis Christianæ denique finis est, ut nos subdamus difficultatibus, & suscipiamus curas, quæ conditioni, statui, officijs & functionibus nostris propriæ, & omnibus ijs, quæ ad satisfaciendum muneri nostro necessaria sunt. Hæc nos obligat, ut libenter nos submittamus rebus adversis, quæ nobis eveniunt, ab injustitia creaturarum, uti sunt persecutiones, & calumniæ inimicorum nostro-

F rum



Iulius.

rum; vel à justitiâ Dei, qui creaturis utitur sive ad nos puniendos, sive periclitandos, vel ab injurijs tempestatum, eas tolerando, sive ab habitudine corporis nostri, sive à morbis ob suam diurnitatem, vel violentiam importunis: hæc nos obligat ad mala ista acceptanda spiritu poenitentiae, non ignaros, minùs nos pati, quàm peccata nostra promereantur, atque ad ea non tantùm patienti, sed & grato, imò & læto animo toleranda, idcirco, quòd hac ratione, regnum carnis in nobis debilitetur, idcirco, quòd corpus peccati destruat, quòd *vetus homo noster crucifigatur*, quòd, cum Christo Cruci affigamur. En! quid in se complectatur mortificatio Christiana. Credisne te hucusque id præstitisse? quàm procul ab hoc abes?

*Rom. 6. v. 6.*

*Examina te super hisce articulis, quid mortificatio complectatur, ut confundaris, quòd id tam parcè exercueris, & statuas deinceps exercere.*

Semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circumferentes. *2. Cor. 4. 10.*

Vis, caro serviat animæ tuæ? Deo serviat anima tua: debes regi, ut possis regere. *Aug. Serm. 37.*

DIES



☉☉:☉☉☉☉;☉;☉☉☉☉:☉☉☉ ☉ Julius.

## DIES XXVI.

## De Obedientia.

## I.

Obedientia virtus est, quæ nos Deo ;  
ejusque vicarijs gerere morem docet.

Hæc est virtus quædam generalis, omnium  
statuum, & conditionum propria, quemad-  
modum nemo est, qui in aliquibus saltem  
rebus Præpositum non habeat, sic nemo  
est, quem obedire non oporteat. Obe-

dientia virtus est vniversalis omnes vir-  
tutes complectens, vel supponens; ea so-  
la est illa virtus, inquit S. Gregorius,  
*quæ virtutes cæteras menti inserit, insertasque*

*custodit.* Hæc eas perficit: quas si ipsa non  
dirigit, virtutes esse cessant; imò si ei ad-  
verlantur, in vitia degenerant. Obe-

dientia sacrificium est acceptissimum, quod  
homo facere Deo possit; cum omnium sit  
difficillimum, & homo per obedientiam  
immolet id, quod optimum, sibi que cha-  
rissimū habet, nempe libertatem suam. Sic,

sacra scriptura asserit: *Obedientiam meliorem*  
*esse victimis.* Quia sicut Divus Gregorius ait,  
*per victimas aliena caro, per obedientiam verò*  
*voluntas propria maclatur.* Sacrificia ipsa

i. Reg. 154  
v. 22

F 2

con-



Julius,

contra obedientiæ leges facta evadunt abominanda: Et Deus ipse testatur, se vitium obedientiæ contrarium, ut quandam quasi idololatriam averfari.

II. Perfectio nostra in exequenda Dei voluntate versatur: certum enim est mihi, me Dei voluntatem facere, si Præposito meo obedio, ubi nihil, quod voluntati divinæ adverfetur, præcipit. Articulus fidei est: *qui vos audit*, inquit Servator, *me audit*. Contingere aliquoties potest, ut superior non adeò rationi convenienter agat, dum aliquid mihi præcipit: at ratio exigit, ut ego ipsi obtemperem: quantumcunque à sana ratione abhorreat præcipientis voluntas, ego tamen rationi convenientissimè ago, cum ei obsecundo. Obedientia quantumcunque cæca esse videatur, semper tamen perspicacissima est. Aliquoties rationi adverfari videtur; sed etiã tunc rationi summopere consona est, idque propterea, quòd rationem supremam, Dei nempe voluntatem sibi regulam statuat: Illud ipsum, propter quod Præpositus peccat, præcipiendo id, quod præposterus affectus ipsi dictat, meorum est causa meritorum, cum charitas ad obediendum me permoveat. Quàm beata fors est hominis obedientis! cum semper ei certum sit,

se

Luc. 10.  
7. 16.



se à Deo gubernari. Potéstne is timere, Iulius  
ne malè gubernetur? potéstne inquietus  
esse? obedientiæ ductus terram in Paradi-  
sum convertit illi, qui obedientiam sequi-  
tur.

III. Cùm obedientiæ praxis difficilis  
visa fuerit homini libertatis suæ perditè a-  
manti, ideò opus fuit exemplo Hominis-  
Dei, ut ea facilis redderetur. Nihil de  
ipso dicitur ab anno duodecimo ad usque *Luc. 2. 51*  
trigesimum, nisi eum obedisse: *erat subdi-  
tus illis.* Vide, quò colliment omnes virtu-  
tes, omnia miracula vitæ Christi abscon-  
ditæ. *Erat subditus.* Sed cui? Patri suo?  
non huic solummodò, sed creaturis, sed  
Mariæ, sed Iosepho; quanta humilitas!  
quantum exemplum! sed in quo obedit?  
in rebus omnium vilissimis, & laboriosis-  
simis, Mariæ, & Iosepho omnia præstat ob-  
sequia, quæ servi Dominis suis præstant.  
At quomodo obedit? promptè, sine que-  
relis, eorum nutum, & inclinationem præ-  
veniens; exactè, nihil eorum, quæ ei præ-  
scribuntur, omittens, Patris sui volunta-  
tem in voluntate Mariæ, & Iosephi perfectè  
venerans, eisdemque, ut Patri suo morem  
gerens. An & tu hunc in modum obedis?  
murmurationes illæ, tergiversationes illæ,  
excusationes illæ importunæ, & continuæ,




Iulius.

hæc ignavia, hæc negligentia, hi respectus hominum, hæc obsequentia vel à necessitate, vel à decencia proveniens, vel merè politica, satis ostendunt, quàm longè absis ab hac perfecta Christi obedientia, qui asseverat, se non venisse, ut faceret voluntatem patris sui; & qui, postquam vixit in continuo obedientiæ exercitio, ex obedientia quoque mori voluit, potiùs eligens, inquit S. Bernardus, vitam, quàm obedientiam perdere.

*In quocunque statu sis, sive seculari, sive religioso, obedire te oportet Præpositis, quibus obedire teneris. Satage cognoscere, qua ratione impleas id, ad quod tantopere obstrictus es.*

Melior est obedientia, quàm victimæ, & auscultare magis, quàm offerre adipem arietum. *1. Reg. 15. 22.*

Obedientia sola est virtus, quæ virtutes cæteras menti inserit, insertasque custodit. *Greg.*



DIES



## DIES XXVII.

## De Confidentia in Providentia Divina.

## I.

**N**E solliciti sitis, inquit Servator, *animæ vestrae, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini.* Non prohibetur vobis cura, sed inquietudo. Hæc inquietudo toleratur in ijs, qui à verâ fide alieni sunt; in Christianis verò excusari non potest: immoderato hac super re timori se dedere, est fide, & fiducia in Deum carere. An non hoc est fieri aliquo modo ethnicum? Hac inquietudine iniquius nihil est. Christus ipse ad eam retundendam rationes affert efficacissimas: Deus inquit, est Pater vester, & Pater vester cælestis, necessitatum vestrarum probè gnarus: earum igitur si gnarus est, cur vobis persuadetis, eum idè non succurrere, quòd eas ignoret? Si Pater vester est, & omnium Patrum optimus, potestisne de ejus bonitate, & cura vestri dubitare? quantumcunque mali sitis, præbetisne lapides filiis vestris, panem à vobis perentibus? eritne Pater vester, qui in cælis est, durior vobis? si verò is Pater vester est, qui in cælis est, tum enim verò



Julius.

Omnipotens est. Et si ipsius potentia ejus bonitatem æquet, fierine potest, ut aliquid vobis desit?

II. Ipse est Pater noster, quia nos creavit: si tam benignus fuit, ut nos crearet, vitamque nobis daret, deficientne ipsum cura nos conservandi? bestiarum ferocissimæ catulorum suorum non obliviscuntur; & Pater cælestis, qui hunc instinctum eis impressit, filiorum suorum obliviscetur? voluit, ut filius suus sanguinem suum pro nobis funderet, ut animas nostras tantis sumptibus redimeret, & curam corporum nostrorum non geret? Christus felicitatem æternam nobis comparavit, & de sustentatione temporaria nobis non providebit, cum tam facile possit? avibus de sustentatione prospicit, & eam hominibus ad imaginem suam creatis, sanguineque suo redemptis non suppeditabit? lilia tam magnificè vestit, & curam vestes nobis subministrandi non habebit? quemadmodum verò hæc inquietudo injusta est, sic non minùs inutilis erit: nam, *quis nostrum*, inquit Servator, *potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?* omnes mundi Reges omni sua potentia nec granum tritici ad se nutriendum procreare possunt: nisi Dominus edificaverit domum, in vanum labo-

Lev. 12. 25.

Psal. 126.

v. 1.

bo-



horaverunt, qui aedificant eam. Omnes cura-  
ræ sunt inutiles, nisi Deus ijs benedicat, &  
favereat.

Julius

III. Verùm, quò fit, ut, cùm tanta sit  
Dei providentia, necessitatibus tamen a-  
deo magnis premamur, ut pluribus etiam  
necessaria deficere videantur? Verum est,  
Dominum nobis polliceri, eorum nihil no-  
bis defuturum: *omnia adjicientur vobis.* Ve-  
rum quoque est, eum non posse non stare  
verbis suis; sed qua conditione id nobis  
promisit? conditio hæc est; ut primo loco  
quæramus Regnum Dei.

Matth. 61

v. 33.

*Querite pri-  
mùm Regnum Dei.* Hoc verò minimè faci-  
mus. Quærimus id aliquoties, haud infi-  
cias eo: sed non primo loco, quã tamen con-  
ditionem Servator exigit: hanc nisi serve-  
mus, nihil nobis debet. Recordare mei,  
dicebat S. Catharinæ Senensi, & ego recor-  
dabor tui. Habeto Zelum eorum, quæ ad  
cultum meum spectant, ait tibi, tunc com-  
moda tua curæ mihi erunt; habeto curam  
salutis tuæ, & ego fortunarum tuarum ha-  
bebo curam. Malus es, & vis, ut Deus  
more insolito, se tibi bonum præstet. E-  
jus voluntati assiduè resistis, & vis, ut ipse  
in omnibus tuæ voluntati condescendendo  
obsecundet, omnesque curas peculiare,  
vitæ tuæ sustentandæ in se suscipiat; cùm

Ibid.

ta-



**Julius.**

tamen eâdem vitâ non nisi ad ipsum offendendum utaris. Fuitne unquam peritio magis injusta?

*Erubescere de vanis tuis inquietudinibus, & tam exigua confidentia in providentia divina, cujus effectus toties experiris.*

Quærite ergo primùm Regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. *Matth. 6. v. 33.*

Tam Pater nemo. *Tertull. de Pœnitentiâ.*

## DIES XXVIII. De Cælesti Paradiso.

### I.

**L**icet scriptura nihil exaggerare soleat, de cælo tamen loquens verbis utitur, quæ exaggerationem continere videntur; & nihilominus longè minùs de eo dicit, quàm re ipsa in eo inveniatur. Merces, quam Deus parat Sanctis, inquit Apostolus, cogitationes & desideria nostra longè transcendit. Et quousque ea non enituntur? bona alterius vitæ, subjungit, *sunt supra modum in sublimitate*, adeò, ut ingenium nostrum ea assequi non possit. Quantumvis sanctorum Martyrum tormenta, præter modum gravia, quantumvis horrenda eorum

sup-

*Nec in cor  
hominis  
ascendit 1.  
Cor. 2. 9.  
2. Cor. 4. 17.*



supplicia videantur, nullam tamen propo-  
tionem habent cum felicitate, in qua eo-  
rum in cælo præmium consistit. Potest-  
ne quid efficacius dici ad proponendam  
nobis idæam felicitatis illius, quæ nos in  
cælo manet? & tamen id, quod de ea di-  
citur, nihil est, si comparatur cum eo, quod  
re ipsa est.

II. Quidquid Sancti fecerunt, & perpe-  
si sunt ad tantam remunerationem obti-  
nendam, nihilum quoddam dici potest: Pro  
nihilò salvos facies illos, quia ibi solummodò ma-  
gnificus est Dominus, inquit Propheta. Et  
nihilominus qualem pulchritudinem, qua-  
lem magnificentiam ostendit in omnibus  
creaturis, quas vniuersa rerum natura com-  
plectitur? in stellis, quas splendere, seque  
supra capita nostra gyrare conspiciamus?  
quantumcunque magnæ, & puræ esse pos-  
sint voluptates, queis in hac vita fruimur,  
non tamen sunt, nisi modicæ guttæ ex hoc  
fonte aquæ vivæ promanantes. Sed in cæ-  
lo Beati immergentur, ut ita loquar, tor-  
renti voluptatis, inquit Propheta, inebria-  
buntur sanctis hisce delicijs, quibus com-  
plebuntur in Domo Domini, ubi accum-  
bent mensæ, ad quam Deus ipse eis mini-  
strabit.

Julius,  
Rom, 8, 18.

Psal. 55.

Isai. 33. v.  
21.

Torrente vo-  
luptatis po-  
tabis eos.  
Psal. 35.  
v. 9.

Inebriabun-  
tur ab uber-  
tate Domus  
tua. Ibid.

Transiens  
ministrabit  
illis. Luc. 22.  
37.

III, Po-



**Iulius.**

III. Potestne præstantius quid de cælo dici, quàm si dicatur esse dignum sanguinis Dei pretium? quanta igitur felicitas erit, quam Deus hoc pretio emit, neque tamen nimis

**Hebr. 12.2.**

caro emisse sibi videtur? quantumcunque nobis Deus donet, donare tamen nil poterit, quod Christus nobis meritis non fuerit. Ipsius potentia, sapientia, & magnificentia, altiùs, quàm filij eius merita, ascendere non possunt: quidquid Deus nobis dare potest, nisi seipsum dederit, semper minus erit eo, quod nobis debet; quia semper minus erit eo, quod filius ipsius nobis meritis est; cum merita ipsius sint infinita. Quod si Deus liberalem se nobis exhibeat, liberalitas hæc iustitia erit intuitu filij, cuius nos membra sumus, & in cuius jura succedimus. An non posthac spes nostræ æquè, ac desideria nostra ad sublimia tendere possunt? si id non facimus, unde oritur, quod pretium sanguinis Dei non cognoscamus?

*Conemur excitare animum, & spem nostram, considerata tanta felicitate; & erubescamus, quod tam parùm laboremus ad promerendam mercedem, quæ tanto stetit pretio Sanctis, & ipsimet Christo.*

Non



Non sunt condignæ passiones hujus Iulius.  
temporis ad futuram gloriam, quæ reve-  
labitur in nobis. *Rom. 8. 18.*

Quis alius noster est finis, quàm perve-  
nire ad Regnum, cujus nullus finis? *Aug.*  
*lib. de Civit. Dei.*

---

DIES XXIX.

De Amore IESU Christi.

I.

**A**MOR IESU Christi felices nos reddit in  
hac vita, quemadmodum Christus  
factus est pro nobis, sic nos pro ipso facti  
sumus. Omnia alia occupare cor nostrum  
possunt, solus tamen IESU amor id satiare  
potest. Quid dulcius, quàm amare? at  
verò amare objectum infinite amabile, pos-  
sidere bonum, quod omnia bona comple-  
ctitur, & Sanctis cæli incolis supremam af-  
fert felicitatem, idque possidere cum secu-  
ritate, quam nullus nobis invitis adimere  
casus possit; atque amare spe certa, id o-  
lim quoque perfectiùs possidendi, an non  
hoc est Paradiso in terra frui? An non hoc  
est illud commodum, quod nobis amor in  
Christum, si is sincerus est, accersit? Ah!  
quanta felicitas, si anima dicere possit:

Di-



Julius.

*Cant. 2, 16.*

*Dilectus Iesus meus mihi , & ego illi.* Nec quidquam ab eo separare me potest. Hæc est optima illa pars, quam Magdalena elegerat, quamque nemo ab ea auferre poterat. Martha, cujus hodie festum agitur, obsequijs Magistri sui intenta generosa est; at Maria eundem amando, & amoris ejus fructibus gaudente occupata, felicior est. Quantæ hæc suavitates! experiri eas oportet, ut eas concipiamus; ut verò eas experiamur, sincero opus est amore.

August.

*Da amantem, & sentit, quod dico.* Infelix esse mereor, si alibi felicitatem quæro, quam in Iesu Christo; cum certum mihi sit, me illam in ipso inventuram.

II. Amor Iesu Christi pignus est securissimum futuræ nostræ Beatitudinis, signumque Prædestinationis nostræ certissimum. Misericordia erga pauperes, pietas in Beatissimam Virginem signa sunt valdè clara Prædestinationis; neque tamen omnino certa. Amorem verò sincerum, & constantem erga Christum habere non possumus, quin prædestinati simus. Angelus Exterminator, qui domos Ægyptiorum vastavit, omnibus primò genitibus interfecit, cunctis ædibus agni sanguine, qui Christi erat figura, notatis pepercit. Potestne cor hoc caractere insignitum re-

pro-



probari? leones ipsi nomen Iesu cordi S. Martyris Ignatii inscriptum reveriti sunt. Si cor, cui amor Iesu impressus est, in inferno esse posset, flammæ ipsæ inferorum id venerarentur, nec urere possent cor amore Iesu inflammatum.

III. Amor Christi Iesu non modò certissimum Prædestinationis nostræ signum est, sed etiam certissima ejusdem causa. Prædestinatio effectus est tum beatæ distinctionis, quam Deus certos inter homines facit; quos extrahit è perditorum massa; tum amoris singularis, quo in ipsos fertur: & quò tendit amor iste singularis, nisi ad eos, qui filium ipsius peculiariter amant? ipsemet eum amat amore infinito: atque aded vel nihil amat præter ipsum, vel non amat, nisi eatenus, quatenus ad ipsum refertur; ut proin amemur à Deo juxta mensuram amoris, quo Iesum prosequimur. Si Iesum ardentè amo, Pater æternus ardentè me amat, & incitante hoc amore, me prædestinat: si illum non amo, is me non amat, & proinde reprobatur. Si filium ipsius è corde meo repello, è corde repellor Patris. Si è corde Patris repellor, quis sum, nisi reprobatus? &, quid est esse reprobatum, inquiebat Dæmon ipse per os  
cu-



Julius

cujusdam Energumeni, nisi infelicem, qui IESUM non amat, nec amare potest?

*Roga Patrem æternum, ut, cum nos non amet, nec prædestinet, nisi in quantum nos ipsius filium amamus, tibi illud ipsum lumen donet, quo filium suum perfectè cognoscas, & gratiam, quã eundem ames.*

Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amãstis. *Io. 16. 27.*

Si habemus te, quid ampliùs volumus? nunquid amanti sufficit? *Bonav. in stimulo Amoris.*

## DIES XXX.

Quid Deus sit, Comprehendi non potest.

## I.

**D**EUS incomprehensus est, quia tempore nullo comprehendi potest, cum æternus sit, cum ante omnia tempora extiterit, cum post omnia tempora sit extiturus, cumque ea comprehendat omnia, quin ab ijs comprehendatur. Non potest comprehendi ullo loco, quia immensus est, quia fuit, priusquam ullus esset locus, non potest comprehendi nostris cogitationibus, cum omnes cogitationes nostras excedat,

ea-



earumque sit principium; unaque finis, & *Julius.*  
objectum præcipuum esse debeat: est in  
mente nostra, sed ei non includitur; est in  
corde nostro, sed eo non terminatur, cum  
mentis, & cordis nostri sit principium, eo-  
rumque motus longè superet.

II. Deus nihil est eorum, quæ videre  
possumus, nihil eorum, quæ nobis imagi-  
nari possumus, nihil eorum, quæ concipe-  
re possumus. Quidquid conspiciamus,  
quidquid sentimus, quidquid nobis ima-  
ginamur, in ipso est, quia ipse immensus  
est; sed ipse non est illud. Credere possu-  
mus, cognoscere possumus, adorare eum  
possumus, amare possumus; olim etiam  
possidere poterimus; sed comprehendere  
nunquam poterimus. Tantùm abest, ut  
hoc mihi difficultatē, & anxietatem pariat,  
mi Deus, ut potiùs me soletur, potiùs me  
delectet; ob hoc ipsum enim comprehen-  
do, te Deum meum esse, quia comprehen-  
dere non valeo. Viles profectò animæ,  
quæ credere Deum nolunt, quia compre-  
hendere eum non possunt: namque si eum  
comprehendere possent, terminis circum-  
scriptus esset, & ob hoc ipsum Deus non  
foret. Nihil mihi majorem facilitatem  
affert, credendi Deum, quàm, quòd id,  
quod fides de ipso me docet, compren-  
dere

G

dere



Iulius.

dere nequeam: ipsius incomprehensibilitas, ut ita dicam, quodammodo efficit, ut ipsum comprehendam, vel certe ejusdem suppeditat idæam, quam de ipso habere deo.

Lst. 10.

III. Volupe Deo est, ut se animabus parvis, & humilibus cognoscendum præbeat: hæc ipsum sentiunt, etsi non videant; hæc ipsum gustant, etsi eum non concipiant, & eum aliquo modo comprehendunt, etsi non comprehendant. *Confiteor tibi Pater, quod abscondisti hæc (Mysteria) à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Et sanè id, quod Deus ipse de se eis revelat, abundè eis demonstrat, plura in ipso cognoscenda restare, atque id ipsum, quod in præsentiarum eorum objectum fidei suæ, futurum olim objectum suæ Beatitudinis; nam cum perfectiones istæ idèò infinitæ sint, quod comprehendere non possint, sufficientes erunt ad eos redendos æternùm, & infinitè beatos.

*Si comprehendere non potes Deum, nec eum perfectè cognoscere; potes eum perfectè amare, & hoc solatio tibi sit.*

Forſitan vestigia Dei comprehendes, & usque ad perfectum omnipotentem peries? *Iob. 11. 7.*

Si quis non intelligat te, gaudeat; & si amet, non inveniendo invenire te potius quam



quàm inveniendo non invenire. *Aug. Lib. Iulius*  
*1. Confes. c. 6.*

DIES XXXI.

De Zelo Gloriae Divinae.

I.

CONsideratur Zelus gloriae divinae, ut  
virtus, quae non sit, nisi perfectorum;  
& tamen non est minoris obligationis,  
quàm charitas, quae illius est principium u-  
nicum, & necessarium. Absque charitate,  
salutis aeternae consequendae nulla nobis  
spes est: neque charitas est, ubi gloriae di-  
vinæ zelus non est. Quod ardor est in i-  
gne, id zelus est in charitate. Potestne i-  
gnis esse sine ardore? potestne charitas esse  
sine gloriae divinae zelo? quilibet Christia-  
nus, à tempore, quo Christianus est, & fi-  
lius Dei adoptivus, aequè dicere debet, ac  
filius Dei per naturam: *In ijs, quae Patris Luc. 2. 49.*  
*mei sunt, oportet me esse, atque his me occu-*  
*pare.* In tribunalibus justitiae homo Re-  
gis appellatur is, qui curam habet tuendi  
ea, quae Regis sunt. Hanc ob causam Di-  
vius Paulus discipulum suum Timotheum *Tu autem 6*  
appellabat *hominem Dei*; quòd rebus divi- *homo Dei. 1.*  
nis in sua Ecclesia daret operam. *S. I. Tim. 6. 11.*

G 2

gna-



Julius.

gnatius, cujus hodie festa dies agitur, Homo Dei fuisse dici potest in vniverſo terrarum orbe; idcirco, quòd ſemper quæſierit, & in omnibus, & per omnia promoverit, non ſolum gloriam, ſed majorem gloriam Dei. Quivis Chriſtianus Homo Dei eſſe debet in ſtatu, & conditione ſua, Rex in ſuo regno, Episcopuſ in ſua diaceſi, Magiſtratuſ in ſuo munere, Pater in ſua familia. Præcipuum eorum negotium eſt, rueri jura divina: ea negligere turpis infidelitas; & eadem violare perſidia eſſet manifeſta.

II. Si non eſſemus obligati, uti ſumus ad habendum gloriæ divinæ zelum; eam tamen promoveri honorificum nobis eſt; cum eo nihil ſit glorioſius. Gloria Dei eſt bonum Dei: divinum igitur quiddam eſt, & proinde quiddam infinitum. Et ſane gloria creſcit, habita ratione dignitatis illius, ad quem ea pertinet, quantæ erit excellentiæ gloria Dei? creaturæ, quantumcunque excellentes eæ ſint, comparate Deo nihil ſunt. Quæ igitur gloria eſſe poteſt omnium creaturarum gloriæ divinæ comparata? gloria Chriſti, quatenus erat homo, excellentiſſimum quid, & perfectiſſimum erat; & tamen, cum eam gloriæ Patris ſui comparat, ipſemet fateretur, eam ni-

hil



hil esse: *Gloria mea nihil est.* Quid igitur Julius, est gloria omnium creaturarum gloriae Dei comparata? dicendum, minus esse nihilo: *Ioan. 8.* quemadmodum nihil propriè magnum est, nisi Deus, sic nihil propriè magnum est, quàm ejus gloria: neque nos verè magni sumus, nisi quatenus ejusdem gloriae promovendæ flagramus studio. Hinc judica, quantus fuerit Divus Ignatius.

III. Quare rectè concluditur, animam ad vitam meliorem reductam, peccatum quoddam impeditum, minimum opus bonum, minimum virtutis actum, majus quid, & gloriosius esse omnibus celeberrimorum heroum factis, omnibus summi in hac terra momèti negotiationibus, totius cujusdã imperij occupatione, vel gubernatione. Fides nos docet, & ratio ipsa satis, superque hanc veritatè nobis demonstrat, propterea, quòd hæc omnia nihil sint, nisi gloria creaturarũ; cum ex adverso bona opera, actusque virtutum gloriam creatoris promoveant: unde fit, ut nulla sit uniuscum altero comparatio, proportio nulla. Quantum hæc veritas probè comprehensa animabus pijs inspirat ardorem erga omnes actiones, quæ ad Dei gloriam conferre aliquid possunt? quantum fervorem in exercitijs misericordiae in proximos, quantam animi magni-




Iulius.

rudinem, quàm nobilem, sanctamque generositatem ! quantum rerum omnium, quæ Deus non sunt, neque ad Deum referuntur, contemptum ! si in promovenda Dei gloria tam parùm habes ardoris, si in ejus cultu tam parùm zeli, in tuis exercitijs pijs tam parùm fidelitatis, causa est, quòd hanc veritatem vel non credas, vel certè non penetres. Eam probè penetravit S. Ignatius, qui asseverabat, omnes labores vitæ suæ bene impensos sibi videri, si non nisi unicum peccatum lethiferum impedijset. Quantus divinæ gloriæ in corde magni hujus viri zelus ! sed & quantum frigus, quanta ignavia in tuo !

*Confer te ad S. Ignatium, eum rogaturus, ut tibi obtineat vel modicum quid illius zeli pro gloria Dei, quo ipse arsit. In quocunque statu sis, zelum exercendi, & occasionem, & obligationem habes.*

Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est. *Ioan. 8. 54.*

Quidquid Deus non est, aut nihil est, aut pro nihilo computari debet. *Imit. Christi*



CON-





# CONSIDERATIONES CHRISTIANÆ.

*pro singulis Anni diebus.*

AUGUSTUS.

DIES I.

Deum Unum Existere.

I.



St Deus. Hæc veritas per se videtur evidens: nec est, nisi ingenium stupidum, quod eam ignorare, nec cor, nisi corruptum, quod de ea dubitare queat. Hæc

veritas sensu, & ratione aded percipitur, ut eam argumentis firmare velle, sit, ut videtur, eandem obscurare: consensus omnium populorum, in omnibus locis, & temporibus, quantumvis in omnibus alijs inter se discrepent, id satis, superque demonstrat. Id nobis dictat natura, quæ nec mentiri, nec a falso præjudicio proficisci potest. Res

G 4

sa-



**Augustus.** sanè non est ficta : veluti vniversale quoddam Philosophicum fingimus. Sensus, imaginatio, & cupiditates, quæ sunt fallorum præjudiciorum fontes, huic unius Dei Ideæ non favent, cùm eam potiùs directò impugnent. Homo, qui ob animi sui corruptelam ad hanc naturæ vocem surdus, & stupidus est, ista sua stupiditate confirmat, Deum esse, sed Deum vindicem. Opinio unius duntaxat hominis sensui totius generis humani opposita, tam insolens quiddam est, ut non nisi è cæcitate quadam, & pæna divinitus inflicta proficisci possit. Homo corruptus dubitare vult, an Deus sit, propterea, quòd Deus infinitè purus cordi impuro molestus sit. Et tu, mi Deus, ut te vindices, eum in dubio suo hæerere sinis : sed hoc dubium ei pacem non affert, quam in medio vitiorum suorum quærit. Dubitare poterit; sed persuadere sibi nunquam poterit, Deum non esse. Fuitne unquam uspiam verus aliquando Atheus?

II. Homo, ut convincatur, Deum esse, oculos duntaxat ad contemplandum vniversum aperire debet : omnia, quæcunque videt, ei prædicant, Deum aliquem esse. Immensus iste globus, quem supra capita nostra amœnâ quadam harmoniâ, & tam  
be-



Bene ordinatis revolutionibus gyrari conspiciamus; astra, quæ huic inserta ob suam magnitudinem, venustatem, & splendorem tam admiranda, motu suo tam rapida, in suis perjodis tam exacta, in suis vicissitudinibus tam constantia, in suis effectibus tam prodigiosa sunt, an non prædicant gloriam tuam Domine omnibus ijs, qui ad tam claram vocem surdi esse non volunt? tot plantæ, quæ conspiciuntur in terra, quarum quævis certis pollet viribus; tot metalla, quorum quodvis certis usibus servit, tot animalia, quæ omnia suum habent instinctum, tot, ut vocant, agentia inclinationibus tam diversa, & sæpè opposita concorditer tamen laborant, & ad eundem finem tendunt, dum clamant ad omnes, qui aures, ne veritatem percipiant, non obturant. *Ipse fecit nos; & non ipsi nos.* *Op-positio illa quatuor Elementorum, quæ ob ipsam suam discordiam cum omnibus alijs creaturis concentum quodammodò efficiunt, & mutuis inter se pugnis serviunt tuendæ huic unioni, è qua Universi conservatio pender; hæc, inquam, oppositio, an non ostendit nobis, eum mente destitutum esse, qui non cognoscat, hæc omnia aliud quid non esse, nisi opus quoddam rationis supremæ? cui unquam in mentem*

*Celi enarrant gloriam Dei Psal. 28. 23.*

*Psal. 99. 3.*



*Augustus.* venit, palatium quoddam magnificentum, secundum omnes artis regulas extructum, superbissima supellectili exornatum, picturis prorsus stupendis instructum, casu, & concursu fortuito quarundam atomorum conflatum esse? quodnam palatium accedit ad elegantiam, magnificentiam, proportionem, & ad accuratorem illam, quæ in structura mundi videtur? quis igitur istius esse potest architectus, nisi tu, mi Deus! atque hoc, cæco tribuere casui, an non ipsa cæcitas est?

*Signatum est  
super nos  
lumen  
vultus  
tui, Domine.  
Psalm. 4. 7.*

III. Homo, ut te, Domine, cognoscat, oculos solummodò aperiat, seque ipsum contueatur. Quid admirabilius hac multitudine, hac elegantia, hac dispositione, hac proportione, hac congruentia, quam inter se habent tot organa, materiâ, figurâ, situ, motibus, functionibus tam diversa; quæ tamen concentu tam mirabili, & certo ad eundem tendunt finem? quis te non videt, mi Deus, in omnibus his, quæ videntur? si verò in me ipsum descendo, animam meam consideraturus, quæ vestigia, quæ argumenta veritatem Dei efficaciter demonstrantia ibi non invenio? vniversalis illa, & quod consequens est, naturalis inclinatio ad bonum; vniversalis illa aversio à malo, annon probant, existere primum ali-



aliquem, & vniversalem motorem, qui hocce motus omnibus hominibus imprimat? illi conscientiae angores, qui faciunt, ut in certis actionibus nosmetipsos secretò condemnemus, etsi nullus hominum nos arguat, an non efficiunt, ut sentiamus existere iudicem aliquem supremum, à quo non concedatur appellatio? oculorum in caelum elevatio, quae omnibus miseris, etsi de eo non cogitent in suis calamitatibus, solennis est, annon sat, superq; testatur in caelo Deum esse, qui nobis succurrere possit? annon continuus ille cordis motus, qui illud excitat ad quaerendam semper felicitatem suam, quam in possessione bonorum omnium, quae in terra sunt, nulla ratione consequitur; cum illud satiare nesciant, annon, inquam, abunde ostendit, ejus capacitatem esse quodammodo infinitam, & praeter bonum infinitum nihil esse, quo id repleti queat? & quodnam est hoc supremum bonum, nisi tu, mi Deus, qui solus satiare nos potes?

*Frequenter tibi met occine: existit Deus: nulla veritas nos magis in officio continere, atque ad id, si ab eo recessimus, revocare, in miseris nostris nos consolari, & in propositis animare potest.*

Invisibilia ipsius à creatura mundi, per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur.

Rom. I. v. 20.

Ne-



Augustus. Nemo Deum negat, nisi, cui, expedit, Deum non esse. *Aug.*

## DIES II.

## Veram Aliquam Religionem esse.

## I.

**S**I Deus est, Religionem etiam aliquam esse oportet. Quid est Religio? est commercium quoddam Deum inter, & homines, in quo Deus hominibus cognoscendum se præbet, & homines Deum glorificant. Annon hominibus te cognoscendum præbuiſti, Domine? an non potentia, sapientia, benignitas tua manifestatæ fuere in operibus tuis? annon etiam hominis officium est, necessariò te glorificare? hoc autem est exercitium Religionis: si enim te cognoscimus, mi Deus, an non simul cognoscimus, te infinitè perfectum esse? an igitur ab officio te laudandi, & amandi nos eximere possumus? an non cognoscimus, te naturam esse supremam, nulli subjectam, & cui omnia subsunt? an non igitur debitum divinæ tuæ Majestati cultum præstare obligamur? vel interiùs per orationem, vel exteriùs per sacrificium?

an



an non cognoscimus te omnium bonorum esse Augustus,  
originem? an non ergo animum perfecte  
gratum exhibere tibi, eumque obsequiis nostris  
testatum facere debemus? an non cognoscimus,  
Deum esse infinite bonum, infinite liberalem,  
adeoque potentem necessitatibus nostris subvenire?  
annon igitur ad ipsum accedere nos oportet per preces,  
& exercitia omnium horum actuum, per praxin  
omnium nostrorum munerum? an non hoc est id,  
quod Religio dicitur?

II. Cultus, quem Deo per Religionem exhibemus,  
debet esse cultus exterior, publicus, & communis.  
Debet esse exterior; cum enim homo corpus æque,  
ac animam suam à Deo acceperit, hæc duas partes  
eidem subijcere debet. Debet esse publicus;  
an non, mi Deus, honori sibi ducere debet homo,  
quod tanto Deo servire, eumque laudare queat?  
an cultu secreto eum contentum esse decet?  
Cultus iste debet esse Communis; omnes homines tot,  
tantaque bona à Deo accipiunt omnibus communia;  
conspirare igitur eos oportet ad agendas ei pro  
illis gratias, eumque colendum. Homo à natura  
sociabilis est; si ergo homines in omnibus alijs  
vitæ actionibus inter se uniti esse debent; an non  
æquum est, ut inter se uniti sint in omnium  
præ-



**Augustus.** præcipuis, nempe in illis, quæ dirigunt ad cultum Deo præstandum? quemadmodum inclinatio naturalis rationi, & amori ordinato juncta, quo quis in seipsum fertur, vincula sunt, quæ homines inter se uniant, ad conflandam societatem; sic amor sui ipsius malè ordinatus, animi motus nimium vehementes, commoda propria, & privata hæc vincula sæpè dissolvunt, & discordiæ causa sunt. Opus proinde fuit mihi Deus, vinculo quodam validiore, ad homines coërcendos: & hoc est vinculum cultûs tui, nempe Religionis: hoc vinculum nos alligat tibi simul, & hominibus, mutua quadam inter nos ratione, eaque tanta, ut ab hominibus nos abalienare haud possimus, quin & â te nos abalienemus: quis verò hanc abalienationem non formidet?

III. Non est, nisi unica Religio: omnes homines non nisi unicum, idémque principium habent; æquum proin est, ut etiam unum, eundémque habeant finem, qui est Deus; nec, nisi unam, eandémque viam, quæ nos ad hunc finem perducatur, & hoc facit Religio. Innumeræ sunt viæ, quibus â fine nostro aberrare possumus. Sed quemadmodum veritas est una, sic non est nisi unica via, quæ nos ad illam perducere  
que.



queat. Atque hanc viam Religio nos do- Augustus.  
cet. Nemo est, præter te, mi Deus, qui  
nos ad te perducere possit; nemo est præ-  
ter te, qui te honoret, sicut honorari mere-  
ris, nec quisquam est præter te, qui docere  
nos possit, quâ ratione dignè honorandus  
sis. Deus author est Religionis naturalis,  
quæ alia non est, quàm ratio, quæ semper  
idem habet principium, & finem eundem,  
cùm homo eam securus est, rectà ad Deum  
retendit: sed cùm ea debilis esset, à sensibus  
& cupiditatibus suis corrumpi se passa est.  
Necessarium proin fuit, mi Deus, ut loque-  
reris homini modo clariore, & efficaciore,  
ut is te intelligeret, tibi que obediret. Ea  
de causa opus fuit Religione supernaturali.  
Religio judaica ejusdem initium fuit, &  
quasi delineatio: Religio verò Christiana  
ejusdem est perfectio. Benedictus sis Do-  
mine, quòd me per gratiam tuam ad eam  
vocaveris.


*Grates age Deo pro gratia, quam tibi præsti-  
tit ad Religionem perfectam te vocando; sed sta-  
tue eam probro non exponere per vitam vel inor-  
dinatam, vel imperfectam.*

Unus Dominus, una fides, unum Ba-  
ptisma. *Ephes. 4. 5.*

Religio est quodamodò regalis via, quæ  
una ducit ad Regnum æternitatis firmitate  
securum. *Aug. l. 10. de Civit.* **DIES**



Augustus.



## DIES III.

Religionem Christianam so-  
lam esse veram.

## I.

SI Deus existit, etiam Providentia existit; si existit Providentia, vera quoque Religio existet. Si vera Religio existit; tum ea erit Christiana Religio, quæ agnoscit, & adorat IESUM Christum, ut Hominem-Deum. Veritas hujus Religionis nititur argumentis tam efficacibus, ut non tantum evidens esse debeat cunctis hominibus, prudenter credi posse, Deum esse auctorem hujus Religionis, sed etiam, ut non possit non credi sine extrema imprudentia, & horrenda animi cæcitate. Consensus iste veteris, & novi Instrumenti, tot figuræ tam insignes, & tam perfectè completæ, vaticinia innumera, quæ Christi adventum, nativitatem, vitam, miracula, tormenta, mortem, resurrectionem, spiritus Sancti descensum, Iudæorum reprobationem, Ethnicorum vocationem, Ecclesiæ institutionem indicant. Hæc multitudo inquam, vaticiniorum penitus completorum, ut nec unica desideretur circumstantia,



ria, annon efficacissimè demonstrat veritatem Religionis, quam hi Prophetæ annuntiant? his omnibus fidem non adhibere nunquid est, esse rebellem lumini, suæque cæcitatæ perditè amantem? ad hoc argumentum magis roborandum voluisti, mi Deus, ut ipsi hostes Religionis Christianæ, nempe Iudæi, depositarij forent SS. Litterarum, quibus hæc vaticinia continentur, nobisque suppeditarent incitamenta, quæ nos in fide nostra firmarent, tum arma, quibus eos impugnaremus, tibi que, Domine, instrumenta, quibus eos condemnare.

II. Loqueris nobis Domine; sed, cum omnipotens sis, non nisi per miracula loqueris, quæ solus patrare potes. Hæc est vox, qua voluntatem tuam nobis denuntias, & veritates doces, quibus fidem à nobis haberi postulas. Æquè impossibile est, ut veritates, quas per miracula comprobas, certissimæ non sint, quàm impossibile est, ut nos decipias. Annon igitur Deus auctoritate sua roboravit veritates, quas Christus nos docuit, præsertim illâ, quæ omnium aliarum fundamentum est, nempe divinitatem Iesu Christi, per innumera miracula in illis circumstantijs patrata, quæ omnem nobis falsitatis suspicionem adimere possunt;

H

sunt;



**Augustus.** sunt; atque in complurium oculatorum testimonium præsentia, qui si nobis imposuissent, nullum inde sperare poterant commodum. Hi testimoniis suis ea firmârunt, coram multitudine hominum, qui ipsimet eorum poterant esse testes, quin vel unicus ea inficiaretur, aut falsò scripta fuisse assereret. Atque hæc miracula intrepidè fuere testati, licet per hoc inimicorum se rabiei exponerent, potentium non minùs, quàm crudelium; præterea prodigijs, quæ ipsimet fecere, ea confirmârunt; sed præcipuè prodigio, omnibus alijs prodigijs majore, invicta nempe in tormentis constantia. Potestne, mi Deus, quamvis omnipotens sis, graviore testimonio divinitatem filij tui comprobare? qui hoc argumento se convictum non faterur, an non stupidus, aut voluntariè cæcus, aut stultus est?

III. Hæc omnia miracula, si inficiaris, annon agnoscere cogeris miraculum sine controversia majus, totius nempe mundi sine miraculis ad Christi fidem conversionem? nam quid magis inauditum, quàm, quòd aliquot piscatores imbecilles, ignavi, timidi, ignobiles, indocti, nulla auctoritate valentes, nullis naturæ dotibus conspicui nitantur faciem Unive rsi commutandam in se suscipere, errores æquè ferè,



ferè, ac mundus ipse est, antiquos, consue-  
tudines ab omnibus receptas abolere, deos  
ad id usque temporis adoratos destruere, &  
idola deicere, eorum templa subvertere,  
Philosophorum sapientiam confundere,  
potentiæ, & furori mundi Imperatorum  
insultare, totique terrarum orbi persuade-  
re, hominem in Cruce mortuum esse Deum?  
quale consilium? at quibus medijs utun-  
tur ad hunc finem obtinendum? pauper-  
tas, miseria, persecutiones, supplicia crude-  
lissima, quibus se exponunt, mors ipsa  
quam omnes perpetiuntur, præcipua sunt  
media, quæ amplectuntur: doctrinam pro-  
ponunt, quæ carnem crucifigit, quæ sen-  
sus, propensiones naturæ ipsi insulas, cupi-  
ditates penitus effrenatas, & ut videtur,  
ipsammet rationem impugnat; neque to-  
tius remunerationis loco in hac vita aliud  
ferè sectatoribus suis promittit, quàm per-  
secutiones, & obligationem, doctrinam  
hanc propriæ vitæ impendio tuendi. Qua-  
lia media? quæ proportio cum opere tam  
ingenti? & nihilominus homines isti adeò  
imbecilles, & miseri hisce medijs faciem  
Univerſi immutant, mundum convertunt,  
efficiuntque, ut Christus Cruci affixus ab  
omnibus populis, sapientibus, & Impera-  
toribus adoreretur. Et hæc ipsa Crux, quæ




**Augustus.**

Iudæis erat scandalum, & gentibus stulticia videbatur, gloriæ fit monumentum, quod Reges ipsi fronti suæ imprimere, in coronis suis portare, gloriæ sibi ducunt. Quale consilium? quæ media? quantus rei successus? si miraculum adeo inusitatum, quod tot alia in se complectitur, opus tuum, mi Deus non est, cuius igitur est? & quis præter te successum tam felicem operi huic immenso per media penitus contraria tribuere potuit? Propterea, Domine, hæc prodigia patrâsti, nempe ad extruendam Religionem, in qua facile, tutoque salutem æternam consequi poterò. Quis tibi unquam hujus beneficii sat memorem, gratumque me præbebo?

*Gratias Deo age de gratia, quam tibi præstitit, ad Religionem Christianam te vocandi tot alij tibi posthabitis, qui in errore hærent, & conare memorem tanti beneficii animum ei testari, moribus tuis Religionem tuam honorando.*

Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis. *Psal. 147. 20.*

Sanguis Martyrum Semen Christianorum, *Tertull.*



DIES



Augustus.

## DIES IV.

Nemo Servire Deo simul, &  
mundo potest.

I.

**N**emo potest duobus Dominis servire: inquit *Matt. 23.*  
Christus. *Qui non est mecum, contra 12. 30.*  
*me est, & qui non colligit mecum, dispergit. Ini-*  
*micus apertus minus est formidandus, Luc. 11. 29.*  
quàm amicus fraudulentus & dubius: ab  
illo nobis cavemus; at cùm isti non diffi-  
damus, omnibus ejus technis exponimur:  
Deus respuit cor divisum, & vel totum, vel  
nihil habere cupit. Totum ei non dare, est  
nihil dare. Deus tam magnus est, & cor  
nostrum tam parvum; & quomodo igitur  
hospitium in eo præbere potes cuiquam rei  
cum Deo? Deus non credit, se nimium ti-  
bi dare, cùm totum se tibi donat. Et tu  
totum te ipsi non donabis? potesne aliquid  
per hoc perdere? Da totum, & invenies  
totum, da te ipsum, & invenies  
Deum. S. Dominicus, cujus hodie festus  
dies agitur, alia de causa vir tam Sanctus  
non fuit, nec tantas à Deo gratias accepit,  
nisi quòd se totum Deo donarit, nulla re si-  
bimet servata.

H 3

II. Deus



Augustus.

II. Deus in corde nostro residere desiderat non aliter, quàm Rex in throno suo. Rex nec æqualem sibi, nec socium Regni sui patitur: socium ei jungere, est contra eum rebellare. Animæ nostræ sunt Christi sponsæ, amor sponsi amor est delicatus, & zelotypus; alium præter ipsum amare non potes, quin ipsi perfidus sis. Si Christo rivalem jungis, inimicum ei associas, simulque te metipsum ejus inimicum profiteris. Quid igitur erit, rivalem ei sociare, crudelissimum ejus hostem, nempe mundum? necessum est, ut à Christo te abalienes, nisi à mundo penitus abalienare te velis. Medium hac in re teneri non potest: mundum Christo sociare velle, est Christo injuriam inferre. Mundus quidem societatem cum ipso iniret, sibi que id honoris duceret. At Christus id ratum non habet, imò dedecori ipsi foret. Lumen potius tenebris jungi se pateretur, quàm Christus mundo: si quis Arcam Dei, Baali in eodem altari sociaret, necessario idolum hoc rumpere, vel corrueret.

III. Deus averfatur homines, qui utriusque dissidentium adhærent, & minùs horret animam frigidam, quàm tepidam, inimicum apertum, quàm amicum ignavum, & imbecillem. Nec inducias admittit; sed



sed vel bellum, vel pacem cupit: ij, qui Augustus, duobus adhærere volunt principibus, quibus malè inter se convenit, utrumque non raro sibi infensum reddunt. Si Deo satisfacere, & mundo volumus, neutri plerumque satisfacimus. Obsequia, quæ uterque præstare sibi cupit, ad eò fermè insociabilia sunt, ut uni morem gerere nequeamus, quin alteri desimus. *Væ vobis, inquit Spiritus Sanctus, qui duplici estis corde. Cor dividi non potest, quin discerpatur. Semi-pius, plus agit mali, quàm effrænatae licentiæ homo: cùm enim illum probum esse censeamus, ab eo nobis haud cavemus, sed securè eum imitamur; cùm ex adverso exemplum hominis vitæ liberioris, & passim non bonæ famæ tam periculosum non sit; sed potiùs rationem nobis suggerat, id vitandi, quod ab ipso fieri cernimus.*

*Scrutare cor tuum, ut videas, an id divisum non sit, & an non mundum Christo sociare conetur? quo nihil est communius; sed nihil etiam periculosius.*


Nemo potest duobus Dominis servire.  
Matt. 6. 24.

Quid tibi de his, quæ fecit Deus, sufficit, cui Deus ipe non sufficit? Aug in Psal.

H 4      DIES.



Augustus.



## DIES V.

## De Fine Hominis.

*Deus minùs difficilia à nobis exigit,  
quàm Mundus.*

## I.

**D**Eus non major duntaxat, sed & melior Dominus est, quàm mundus; sed & insuper commodior, cum ei servire facilius sit. Et verò potèstne difficilius quid inveniri eo, quod mundus à suis sectatoribus exigit? ambitio nobilem hunc juvenem ad bellum sequendum compellit: quanto id ei non constat? famem, & sitim, frigus, & æstum perferre, omnibus aëris injurijs sese exponere, plerisque voluptatibus se abdicare debet, quantumcunque ad eas propensus sit, quantumvis tenera corporis constitutione sit. Debet insuper duriozem, quàm austerissimi quique religiosi, vitam agere, fortunas suas grandibus impensis, & sanitatem immodicis fatigationibus absumere, honori præterea sibi ducere, dum gravissimis caput suum periculis exponere ipsi datur idque exponendo, animam peccatis oneratam in æternæ infelicitatis cil-



crimina conijcere. Potestne difficilius quid *Augustus.*  
inveniri? Id si Deus à te requireret ad sibi  
obsequendum, salutemque æternam ob-  
tinendam, annon tibi impossibile videretur?

II. At vita cujuspiam aulici, quæ cæ-  
teris amœnior tibi videtur, estne reipsa mi-  
nùs incommoda? nam quid ab eo denique  
mundus non exigit? jubet eum libertati  
suæ valedicere, etsi votum id præstandi  
nunquam ediderit; erumpentes animæ  
motus semper coërcere, etsi eos vincere  
non possit, nec comprimere velit; nun-  
quam eloqui id, quod cogitat, nec agere,  
quod placet, nec amare, quod amare debet;  
vituperare cogitur, quod æstimat, laudare,  
quod contemnit, omnibus se submittere,  
omnibus eminere cùm vellet; injurias to-  
lerare, quin conqueratur; nec ijs ignoscere  
velit, qui eum offenderunt, totius mundi  
esse, quin unquam sui sit juris; curis con-  
fici, & tamen sorte sua contentum se finge-  
re; omnibus assentari, omnibus diffidere,  
timere semper, sperare parùm; multa ten-  
tare, nihil obtinere: annon hæc est aulici  
vita? annon hæc vita omnium est miserri-  
ma?

III. An Deus tam difficilia à nobis exi-  
git? miles Christi es, & ipse Dux tuus.

H 5

Ejus



**Augustus.** Ejus signis per sacrum fontem adscriptus es, eumque ad bellum sequi obligatus. an in hoc bello tanti tibi labores exantlandi, & pericula subeunda? & nihilominus ei servire meruis, & retrocedis, quae ignavia? Ipse est Rex tuus, in regio comitari versari, ipsi servire debes; postulatne ipse officia tam molesta, tam assiduá obsequium, subjectiones adeò laboriosas, obedientiam adeò cæcam, quam mundus à suis sectatoribus reposcit? totum, quod Deus à nobis requirit, eò reducitur, ut eum è toto corde amemus, & proximum nostrum, sicut nos ipsos. *Qui diligit, legem implevit.* Quid minùs difficile? id, quod miles tolerat, id, quod aulicus pro mundo agit, in damnationem tibi cedit. O te miserum! qui nihil agere, vel pati pro Deo vis!

*Rom. 13.*


*Si quid difficile tibi accidit, dic tibi met ipse: Cur non faciam hoc pro Deo meo; ego, qui nihil inveni difficultatis, ubi satisfaciendum fuit mundo, vel cupiditati meae?*

Lassati sumus in via iniquitatis; ambulavimus vias difficiles. *Sap. 5. v. 7.*

Per quot pericula ad majus periculum itur? amicus Christi esse si volo, nunc fio. *Aug.*

DIES





Augustus.

## DIES VI.

## De Mysterio Transfigurationis.

## I.

**C**hristus Dominus tres discipulorum suorum supra montem Thaborem ducit, ibique *transfiguratur ante eos: & resplendet facies ejus, sicut sol, & vestimenta ejus fiunt alba, sicut nix.* Voluit is, ut illi ipsi discipuli, qui eum ad montem Oliveti comitaturi essent, ad montem quoque Thaborem comitarentur, & gloriæ ipsius testes forent, quemadmodum doloris futuri essent testes. An nõ ex eorũ esse numero velles, qui quidem IESUM in Thaborem, non item in montem Calvarix comitari volunt? qui quidem socij gloriæ, non item tormentorum esse cupiunt? hæc duo à se invicem separare, est chymeram velle. Quantum, inquit Apostolus, de Christi cruciatibus participaverimus, tantum olim de ipsius gaudijs participabimus. Christus per Transfigurationem suam discipulis suis monstrare volebat, quantis ipsorum causà careret, quantaque illi sibi deberent. Roborare vo-

Matth. 17.  
2.

Quemadmodum abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra. 2. Cor

I. 5.

le.



*Augustus.* lebat illorum imbecillitatem, & praevertere scandalum, quod eorum animis allatae essent ignominiae, & dolores cruciatuum suorum. Volebat ipsis animos addere per aspectum gloriae, & felicitatis, quae eos maneret, quaeque futura esset remuneratio depressionum, & dolorum, quibus ipsius amore sese essent exposituri.

II. Cùm Iesus cum Moyse, & Elia sermocinaretur de excessu amoris, quem restaturus esset hominibus pro ipsis moriendo, suosque discipulos spectaculo gloriae suae in admirationem raperet, Pater aeternus ad augendam filij sui gloriam hanc emisit vocem: *hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complaui: ipsum audite, & sequamini.* Hic est filius meus, hic est sapientia aeterna, idcirco veritates omnes, quas vos docebit, credere oportet. Hunc vobis Magistrum praeficio, mandoque, ut faciles ei praebeatis aures, *ipsum audite.* Securi estote, eum vobis imponere non posse. Hic est scopus aeternae oblectationis meae; itaque & amoris vestri scopus esse debet. Vos verò oblectationis meae, quae praedestinos efficit, eatenus solummodo scopus eritis, quatenus Christus oblectationis & imitationis vestrae erit obiectum. *Ipsam audite.* Hic est ille, cui credere, quem sequi debetis. Hic est, quem

viae



viæ ducem vobis tribuo; & quidem ducem **Augustus.**

fallere & errare nescium. Potestisne errare, si eum sequamini? potestisne non aberrare, si eum non sequamini? Pater æternus ad id vos invitat, hoc vobis imperat: estne præcepto vobis opus, quo ad hoc animemini? amor, quem Christo debetis; imò amor, quem vobismet ipsis debetis, an non satis potenti stimulo ad id vos impellit?

III. Discipuli hoc spectaculo adeò fuere abrepti, adeò lætitia repleti, ad aspectum gloriæ magistri sui, ut Petrus imperare sibi non posset, quin exclamaret: *Domine*, quàm *bonum est nos hinc esse!* eccur non æternum hinc loci moremur, ubi tanta gaudeamus felicitate? sed Evangelista addit, Petrum nesciisse, quid diceret: imò discipulus iste tanto lumine præditus, qui tam præclarum divinitati magistri sui testimonium dederat, ignorabat, quid modò diceret, cum semper manere in Thabore, vitam ibi suam in deliciis, & gaudiis transigere, nullòque prævio dolore, hanc bonitatem, priusquam eam mereretur, possidere vellet, ad quam pertingere nemo, nisi per crucem potest. Imò simul, ac Petrus vanis hisce desiderijs abripitur, totum hoc insigne spectaculum evanescit, & discipuli soli cum Iesu remanent, sed non amplius cum Iesu  
glo-



**Augustus.** glorioso, nimum felices, dum IESum possident gloriâ licet suâ exutum; nam versari in medio ignominiarum, & dolorum, & in ijs cum Christo esse, verus est Paradisus; sed in medio esse voluptatum, ibique esse sine IESu, verus est infernus. An hoc cogitas? cogitabis, si IESum amas; & si id non cogitas, potesne dicere, te ipsum amare?

*Ne tibi persuadeas, te Christi comitem in montem Thaborem fore, si eum comitari non velis ad montem Calvariæ, aut ejusdem gloriæ participem futurum, nisi dolorum, & depressio- num illius particeps sis.*

Petrus ait IESu: Rabbi, bonum est, nos hîc esse. Non enim sciebat, quid diceret. *Marci 9.*

Esse sine IESu gravis est infernus; esse cum IESu dulcis Paradisus. *Imit. Christi l. 2. c. 8.*



DIES



## DIES VII.

## De Salutis desiderio.

*Ad salutem consequendam necessaria  
est voluntas sincera.*

## I.

**A**D salutem consequendam plus non requiritur, quam eandem consequi velle, sed serio velle: nemo est, qui non dicat, se ad salutem æternam aspirare, sibi que persuadeat, se eam consequi velle; sed pauci sunt, qui eam serio desiderent. Stultum esse oporteret, qui diceret, se damnari velle. Verum necessarium est, vel damnari, vel salutem consequi: neque enim medium inter utrumque tenere conceditur. Quid fit? hoc in negotio nos ipsos decipimus, & stolidè agimus; imaginamur nobis, nos velle, quod nos velle asserimus; motus mentis nostræ, credimus, voluntatis esse motus, & sensus ejus esse desideria. Vel si desideria habemus, sunt ea desideria debilia, & inefficacia, quas velleitates vocant: cum aliud non intendant, nisi ut inutilibus rebus nos occupent; media fini, quem nobis proponimus, obtinendo a-

pta



Augustus

pra non arripimus; ad terminum pertingere cupimus, quin viæ nos committamus. Estne hoc velle? an non potiùs sui ipsius deceptione oblectari? &, dum nobis persuademus, nos velle, quod volumus, eò devenire, ut id executioni nunquam demus?

II. Quidam meliore agunt fide. Hi aliqua media ad salutem obtinendam arripere quidem volunt; sed non ea, quæ sunt necessaria, vel certè non omnia, similes illis ægrotis, qui quidem medicinas aliquas admittere cupiunt, sed eas duntaxat, quæ ad ipsorum gustum faciunt, non verò illas, quæ ipsis utiles sunt, éstne hoc sanari serio velle? huiusmodi homines pugnare volunt, ubi fugiendum est; & fugere, ubi pugnandum est. Pacem inire cum mundo cupiunt, cum ea frangenda est; volunt, ut ipsi inquirunt, vitare peccatum; non item peccandi occasiones; sceleratis voluptatibus renuntiare, non verò ijs, quæ periculosæ sunt; tempus aliquod precibus elargiri, non item æs alienum dissolvere: Huiusmodi homines eò majori in periculo versantur, quò magis aliqua ad salutem consequendam præstare videntur; tutos se esse credunt, licèt non faciant omnia, quæ ipsis facienda incumbunt. Atque hoc idem est, ac nihil agere.

III. An-



III. Annon ego sic animo comparatus Augustus sum? an non eò majorem timendi causam habeo, quò minùs timeo; idcirco, quò securitas mea forsan non sit, nisi effectus cæcitatæ meæ; quæ, dum periculum meum mihi celat, efficit, ut ab eo mihi cavere nequeam. Negligentia mea in adhibendis medijs, quæ aptiora salutis obtinendæ judicare debeo, si mihi metipsum imponere nolo; pertinacia mea in ijs reiiciendis, quæ mihi vel difficilia, vel genio meo adversari videntur; inconstantia mea in exercendis ijs, quæ mihi proposueram, nonne satis mihi indicant, me salutis meæ desiderium bona fide non explèsse; sed potiùs volupe mihi fuisse mihi adulari, & imponere è falsa persuasione, quasi ad salutem consequendam aspirarem; cum tamen media neglexerim? idèò ejusdem obtinendæ evasi impotens. Libera me, Domine, ab hoc errore, qui tam funestos habet effectus.

*Scrutare cor tuum; examina desideriorum tuorum sinceritatem, & judicium de ijs fer ex animi magnitudine, qua polles, amplectendi media ad salutem tuam in tuto locandam aptissima, & ex fidelitate hæc media adhibendi.*

Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in Regnum Cælorum. Matth. 7. 21.

I

Ri



Augustus.

Ridiculum est dicere: volui, &amp; non feci.

Bern.

## D I E S VIII.

## De Morte.

*Mors est transitus à tempore ad æternitatem.*

## I.

**M**omentum mortis à tempore ad æternitatem nos perducit, nobisque ad statum æternitatis viam aperit: *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit: id est, si homo moritur in peccato, in omnem æternitatem infinite infelix est: Si lignum ad austrum ceciderit; id est, si homo in statu gratiæ moriatur, in omnem æternitatem infinite beatus est.* O momentum fatale, quod integram æternitatem amplecteris! o momentum fatale! momentum pro omni causa, & tempore decretorium! quàm parùm homines tui recordantur, & idcirco tam parùm se ad te parant: ideò tam modicam adhibent diligentiam ad arcendos terribiles effectus, quibus eos implicas, quique tanti sunt momenti, quanti felicitas, vel infelicitas æterna.

II. Ni:

Zeeli. 11. 3.



II. Nihil tam grande, nihil tanti ponderis est, quàm hoc momentum, quia nihil tam magnum, nec tanti nostrâ interest, quanti id, quod æternum est. Hoc solum esse debet scopus omnium nostrarum curarum, & in agendo solertiæ, timorum, & desideriorum nostrorum, tristitiæ, & gaudij nostri. Hoc unicè nos occupare debet: omnia reliqua, quantumcunque magna esse videantur, non nisi nugæ sunt, & puerorum crepundia: verbo, nihil. Cùm quis Beato Aloysio Gonzagæ de negotio quodam loqueretur; quid hoc, agebat, ad æternitatem confert? nihil. Idcirco id me non refert. Hoc asperum est; sed me ad æternitatem felicem promovet. Ah! quàm dulce hoc, quàm amœnum est! sed ab æternitate beata me impedit. Ah! quàm horrendum hoc mihi est! obscurus carcer ad felicem æternitatem me perducit; itaque regio eum throno præfero. Thronus ab illa me abducit; Itaque carcerem eligo. Sic cogitat, sic loquitur, qui fidem habet, qui Christianus est, id est, qui cogitationibus æternitatis plenus est. Quisnam igitur verus Christianus est? esse tu talis? & quisnam es, si talis non es?

III. Quemadmodum omnes lineæ alicujus circuli à peripheria tendunt ad illud



Augustus.

punctum, quod Centrum dicimus, sic omnia desideria, actiones, & consilia hominis tendere debent ad hoc temporis punctum, ad hoc fatale mortis momentum, e quo æterna salus pendet. Nihil igitur omitterendum, ad eam in tuto collocandam, remque eo modo agendam, ut in gratia, & amicitia Dei constituamur: nam si bona, sanitatem, quietem, honorem amissem, si omnia mala incurrissem, sed in mortis articulo in gratia constitutus essem, quid hæc omnia mihi officerent? hoc solum momentum resarcit omnia, meque omnibus incommodis reddit immunem. Si omnia mundi bona, omnium voluptatum illecebras, omnesque honorum titulos possedissem, si omnium mortalium felicissimus extitisssem; in hoc tamen ultimo vitæ puncto peccatum incurrerem, quid hæc omnia mihi prodesse? omnia, & quidem æternum perdididi; hoc unicum momentum omnia corrumpit. Itaque aliud in hoc mundo negotium mihi non incumbit, quam ut hoc momentum mihi proficuum, tutumque reddam: omnium proin oblitus aliorum, hujus unius memor ero.

*Imitare praxin Beati Aloysij de Gonzaga, & super consilijs, quæ tibi suggeruntur, & rebus, quas agendas tibi proponis ipse, sæpius ex te quaere: Quid hoc ad Beatam æternitatem?*



Ibit homo ad domum æternitatis suæ. Augustus.

Eccli. 12. 5.

A momento pender æternitas.

DIES IX.

De Pœnitentia.

*Ea proportionem cum peccatis habere debet.*

I.

Pœnitentia magnitudini, & gravitati <sup>Sacrificium</sup> peccatorum respondeat, necesse est. <sup>Deo spiritus</sup>  
 Hæc, inquit Propheta, sacrificium quod <sup>contribula-</sup>  
 dam est: verum sacrificium esse debet justit- <sup>tus. Psal. 50.</sup>  
 tiæ, ut Deo acceptum esse mereatur. <sup>19.</sup> Ut <sup>Tunc acce-</sup>  
 verò justitiæ sacrificium sit, proportionis <sup>ptabis sacri-</sup>  
 normâ utendum inter magnitudinem pæ- <sup>ficiium justia.</sup>  
 narum, & peccatorum. Offensæ leves, <sup>ibid.</sup>  
 inquit S. Augustinus, levioribus pænis ex-  
 piari possunt: gravibus verò graves debentur  
 pænæ. Prioribus satisfit per preces; posteriores  
 sarciri non possunt, nisi gemitibus frequentatis,  
 lachrymis abundantibus, magnis eleemosynis,  
 & jejunijs extraordinarijs. Magnus peccator  
 magnus sit pœnitens oportet. Agisne hunc in  
 modum tu, qui potens es in iniquitate? ut SS. <sup>Psal. 51. 3.</sup>

pa-



Augustus.

paginæ loquuntur. Imbecillis es in pœnitentia agenda; grandis es peccator, & ignavus pœnitens. At, credisne levibus pœnitentijs Deum mitigari? annon potius times, ne illæ magis ipsum irritent, réque obligent ad pœnitentiam de ignavis tuis pœnitentijs agendam?

Dicit. 2<sup>o</sup>.

II. Secundo Pœnitentia proportionem habere debet cum multitudine, & diurnitate peccatorum: propterea SS. Litteræ hanc nobis regulam præscribunt: *Pro mensura peccati, erit & plagarum modus.* Nulum est peccatum, quod peculiarem pœnam non mereatur; idcirco, ubi multa peccata sunt, ibi multæ debent esse pœnæ. Et, si iniquitas longo tempore duravit, pœnitentiam adeò brevem esse non decet: annon insolitum quid est, quòd homines, qui, ut ita loquar, sub iniquitatis jugo incanescere, pœnitentiæ jugum tam citò excutere velint? quòd ij, quorum vitæ momenta peccatorum numerum æquant, pœnitentiam suam aliquot momentis terminare, paucorumque dierum, & forsan etiam horarum spatio circumscribere velint pœnitentiam scelerum, quæ plures annos tenuère? Illi, qui peccata peccatis cummulavère, ad lacrymas ferè perennes condemnari mererentur, & ij, qui totam ferè vitam

tam



tam in peccatis transegere, ad poenitentiam non nisi cum vita finiendam. Esne ad hoc paratus? felicem te, si mors te deprehendat tam sancto exercitio occupatum!

III. Denique poenitentia habere proportionem debet cum qualitate, ut vocant, peccatorum: hinc iniustitiæ sarcindæ sunt per restitutiones, & non solum per eleemosynas; simultates per reconcilia-  
tiones; detractiones per honoris restitutionem; vita pravi exempli per poenitentiam publicam; nimius mundi amor per eisdem fugam, & sui ab eo separationem; tot periculosæ, vel inutiles visitationes per visitationes pauperum; tot tempora lectione librorum pravorum, vel conversationibus æquo liberioribus perdita per lectionem voluminum piorum, meditationem, & silentium; abusus bonorum nostrorum, quem lusibus, vel alijs quibuscunque expensis penitus mundanis admisimus, per eleemosynarum largitiones. Luxus, & vanitas per modestiam; cura immoderata formæ venustatem exornandi per sanctam aliquam sui ipsius incuriam; arrogantia, & superbia per vitæ demissæ, & poenitentis exercitia. Agisne hunc in modum poenitentiam? Cùm poenitentia complecti ne-



*Augustus.*

cessariò debeat vitæ mutationem, pœnitentiam non agimus, si hunc in modum eam non agamus. Ex hoc collige, quàm parvi ducere transactam tuam pœnitentiam possis.

*Examina nonnihil pœnitentias tuas juxta hæc regulas; tum cognosces, quantum absis ab ijs observandis, & quantopere, quod consequens est, pœnitentiæ tuæ suspectæ tibi esse debeant.*

Pro mensura delicti erit & plagarum modus. Deut. 25. 2.

Putant levi pœnitentiæ compendio de omnibus peccatis transigi posse. Petr. Bles.

## DIES X.

## De Timore Judiciorum Divinorum.

I.

*Imis. Christ. l. 3. c. 14.* **I**ntonas super me, dicebat Sanctus ille vir, *judicia tua Domine, & timore ac tremore*

*Psal. 35. 7.*

*mea valdè. Nam judicia tua abyssus multa, quæ fundum non habent; arcana sunt ingenio humano impenetrabilia; viæ sunt oculis perspicacissimis occultæ, cæli non sunt mundi in conspectu tuo. Illi, qui*

*Job. 15.*

*fidelissimè tibi serviunt, perseverantiam sibi*

bi



bi polliceri non possunt ; Et in ipsis Angelis, spiritibus illis tam mundis, creaturis tam perfectis invenisti pravitatem, quid igitur fiet de homine carne corruptibili vestito ? David, vir ille secundum cor tuum lapsus fuit ob aspectum unius feminae. Salomon mortalium omnium sapientissimus, stultissime vasit, factus idololatra. A discipulorum suorum aliquo Christus proditur, & ab altero, quem Ecclesiae suae caput constituerat, negatur. Quis posthac tutum secedat ?

II. Job, vir ille sanctissimus, licet omnia ipsius opera sanctissima viderentur, verebatur nihilominus omnia, cum cogitaret, Deum illorum esse judicem; metuebat enim, ne rationes, quas in sui defensionem praetensurus esset, sibi in damnationem cederent, sincerèque fatebatur, se, si Deus ipsum juxta rigorem judicare vellet, vix fore, ut ad unam è mille accusationibus, quae afferendae essent, respondere posset. David, magnus ille, & sanctissimus Rex Dominum rogat, ne secum in iudicium intret; & asseverat, si Deus minus consulat misericordiam, quam justitiam suam, eum non inventurum in terra hominem, qui purgare se possit. Divus Paulus, vas illud Electionis, vir ad tertium us-

*Non potero  
ei respondere  
unū pro mil-  
le. Job. 9. 3.*

*I Cor. 4.  
v. 4. & 5.*



Augustus.

que cælum raptus, ait: nihil mihi conficius sum, sed non in hoc justificatus sum, qui autem iudicat me, Dominus est. Sancti illi Anachoretæ, Angeli illi solitudinis, illustres illi Pœnitentes, consideratis Dei iudicijs, in intimis spelæorum suorum penetralibus trepidant. Hilarion ultra septuaginta pœnitentiæ annos, ea non nisi cum tremore considerat. Hieronymus, quantumvis emaciatus sanctis suis austeritatibus, ad quas in seipsum exercendas spiritus pœnitentiæ ipsum impulit, sine intermissione sibi audire videtur sonum tubæ, ipsum ad iudicium divinum evocantis, & in continua trepidatione versatur. Et nos imbecilles, & ignavi peccatores, omnis pœnitentiæ obliti tranquilli stertimus. Quæ stupiditas?

Iob 15.

v. 15.

III. Ah! Domine, si cæli non sunt mundi in conspectu tuo. Quid me fiet, qui non nisi impuritas, & peccatum sum? quanto magis abominabilis, & inutilis homo! Si Stellæ cæli cecidère, quid de me fiet, qui non nisi cinis, & pulvis sum? si columnæ cæli fuère concussæ, an ego non contremiscam? ego, qui non nisi debilis arundo sum? si justus vix salvabitur, peccator & impius qui peribunt? fateri cogor, Domine, tanta cum modestia, quanta sinceritate, nullam esse san-



sanctitatem, quæ subsistere possit, nisi tu  
 eam sustentas; nullam prudentiam, quæ  
 non erret, nisi tu eam dirigas; nullam  
 fortitudinem, quæ non succumbat, nisi tu  
 eam tuearis; nullam castitatem, quæ non  
 contaminetur, nisi tu eam conserves; nul-  
 lam vigilantiam, quæ nos ab hostium no-  
 strorum insidijs protegat, nisi tu ei suppe-  
 tias feras. Fateri cogor, nullum esse ho-  
 minem, quantumcunque sanctus esse vi-  
 deatur, qui se purgare queat, si Deus jux-  
 ta rigorem judicare illum velit: & quibus-  
 cunque demum virtutibus instructus esse  
 credatur, debet tamen præcipuum suum,  
 vel potius unicum præsidium à Dei mise-  
 ricordia flagitare. Obliviscere igitur Do-  
 mine, omnium virtutum. & bonorum o-  
 perum meorum; consentio; modò simul  
 obliviscaris peccatorum meorum, ut non  
 nisi misericordiæ tuæ reminiscaris.

*Si habuerò  
 quidpiam  
 justum, non  
 respondebo:  
 sed meum  
 judicem de-  
 precabor.  
 Job, 9. 15.*

*Utere consideratione judicij divini, non ut a-  
 nimum despondeas, & desperes, sed ut super-  
 biam tuam reprimas, & socordiam tuam exci-  
 tes.*


Non intres in judiciũ cum servo tuo, quia  
 non justificabitur in conspectu tuo omnis  
 vivens. *Psal. 142. 2.*

Nusquã est securitas, neque in Cælo, ne-  
 que in Paradiso, multò minus in Mundo.  
 Bern.

DIES



Augustus.



## DIES XI.

De Remedijs Contra Luxuriæ  
peccatum.

## I.

CERTA sunt vitia, veluti certi quidam hostes, quos aggredi, & generosè impugnare debemus, si eos superare velimus: sunt etiam eorum aliqui, qui vinci non nisi fugiendo possunt. Timor & fuga totam animi fortitudinem constituunt; vel certè victoriam nobis certam reddunt. Tale est peccatum libidinis, hostis sanè periculosus. Semi-victus est, & penitus vincit cupit, qui propiùs ad eum accedit, vel eidem aditum ad se præbet: ut primùm periculoso huic hosti faciles solummodò præbemus aures, non multùm abest, ut de nobis ei dedendis transigamus. Is secretum quoddam commercium cum animo nostro, & omnibus ejusdem moribus habet: quibus si non omne cum eo commercium interdiciamus, citò prodemur. *Timere, vigilare, orare, & fugere*, si non sint unica remedia adversus malum adeò periculosum, præcipua certè, & præsentissima sunt. Negligentia nostra in adhibendis  
his



hisce remedijs, vel potiùs horror, quo hæc media averſamur, an non ſigna ſunt, nos ab hoc malo, quod nobis tam amænum videtur, liberari nolle, vel in id labi velle?

II. Spectacula, choreæ, libri faceri, cantiones nimium molles, sermones liberiores, verba lubrica, vel lasciva, mores fæminarum parum modesti, genij nimium hilares, ornatus nimis mundani, nuditates periculofæ, congressus, & familiaritates nimis particulares, media ſunt, quibus Aſmodæus efficit, ut peccatum luxuriæ in mundo invaleſcat. Omnia ſibi permittere, vel tolerare in alijs, qui nobis ſubſunt, eſt ex compacto cum dæmone agere ad fovenda pernicioſa ejuſdem conſilia. Quam probroſum eſt fæminis, & puellis, quæ ſe Chriſtianas dicunt, diaboli instrumenta eſſe! & nihilominus ſibi perſuadere, ſe vitam caſtam agere, hoc ſanè, eſt rem ſibi impoſſibilem perſuadere; id verò ſperare temeritas eſt; id à Deo flagitare, eſt eum vel tentare, vel eidem inſultare.

III. Cogitatio præſentiæ Dei potens eſt remedium contra peccatum luxuriæ: quæ namque fronte in conſpectu Dei committere auderes peccatum aliquod, quod perpetrare coram viro quodam honeſto vereris?



**Augustus.**

reris? Testis unicus à facto turpi refræneret cupiditatem vehementissimam: & oculus Dei longè plus formidandus, quàm omnes oculi totius vniversi, id non poterit? hoc sanè est aut fide, aut religione destitutum esse. Si oculus Dei te non inhi- bet, saltem timor confusionis, quam incurres olim, dum videbis actiones hæc infames, hæc opera tenebrarũ in lucem protrahi, in die illa extrema, in die illa magna, in totius vniversi conspectu te inhibeat. Quod si etiam timor sic nimium debilis est, an nõ timor ignis æterni, qui momentaneæ huius voluptatis futurus est pæna, plus efficiet? vellésne maximam voluptatem emere cruciatu, quem ignis per unicum horæ quadrantẽ toleratus pareret? possésne hoc? appone manum igni parum ardenti, & responde. Et ignis infinitè ardens te non coërcebit?

*Si peccato libidinis necdum implicitus es, utere hisce remedijs veluti præcautione, quæ impediatur, ut in illud non labaris; si verò tuo malo ei implicitus es, utere illis ob necessitatem, ut tibi profint ad te ex hoc malo eximendum.*

Via inferi domus eius, penetrantes in interiora mortis. *Prov. 7. 27.*

Quidquid seminarium voluptatis est, venenum puta, *Hieron, Epist. 11.*

**DIES**







Augustus.

II. Si verò ipsimet in tentationem non conijcimus, Deus gratijs suis nobis succurrere non obstringitur: nam quemadmodum Providentia Dei, si naturalem hominis statum spectemus, non assistit, nisi ijs, qui sequuntur regulas, quas ipsa dictavit, & medijs utuntur, quæ ipsa eis præscripsit, & quemadmodum obstrictam se esse non credit ad conservandam homini vitam, qui comedere non vellet, nec ei sustentationem suppeditare, qui laborare nolleret, sic, si vitæ, morumque ordinem spectamus, gratias suas non nisi illis promittit, qui providentiæ supernaturalis sequuntur ordinem, non verò illis, qui eum invertere vellent. Et quisnam est hic ordo? iste est, ut tibi det gratiam, hanc occasionem periculofam evitandi, & , ubi citra tuam culpam ei te implicitum deprehendis, secundam quandam gratiam tibi impertiat, te defendendi. Gratia hæc secunda non datur, nisi ob fidelitatem, quâ primæ responderis. Si igitur primæ non responderis, secundam incassum speras.

III. Deus eo ferè modo nobiscum agit, quo exercitûs cujusdam Imperator. Si quis Centurio ipsius jussu occasione periculofæ se committit, omnia tentantur ad ipsum ex ea liberandum. At si è contra-

rio,



rio, non iussus, imò invito Imperatore in Augustus,  
eam se conijcit, sinistrae suae fortunae re-  
linquitur, in ea si perit, culpâ, damnôque  
suo perit: ejus infortunium non modò non  
deploratur, sed potiùs temeritas vitupera-  
tur. Sic etiam Deus certissimè tibi assi-  
stet in periculis, quibus ejus te providen-  
tia exposuit, in ijs verò te deseret, in quæ  
propria temeritas te præcipitavit. Sam-  
son ab hostibus suis victoriam semper re-  
portavit in tantis periculis, in quantis ho-  
mo quispiam versari potest; propterea,  
quòd Deo jubente in ea se coniecisset; sed  
ubi amor quidam inordinatus ipsum in  
paria pericula præcipitat, Samson non est  
ampliùs sibi similis; sed miser & ignavus,  
populi sui probrum, & hostium suorum  
ludibrium evadit. Quid causa est, quòd  
in magnis tentationibus fortis, levioribus  
quandoque succubueris? nonne hæc? quòd  
primæ Dei jussu, secundæ verò è tua cupi-  
ditate tibi obvenerint? hoc est, quòd Pro-  
videntia divina illas permiserit; his verò  
temeritas tua te implicuerit?

*Statue evitare omnes occasiones periculosas;  
quia promittere tibi gratiam non potes; si te peri-  
culo exponis. Hæc est enim, quæ te sortem red-  
dit.*

K

Qui



*Augustus,*

Qui amat periculum, in illo peribit  
*Eccli. 3. 27.*

Ita spiritalis fortitudo nobis col laa est,  
 non, ut præcipites, sed, ut providos tuea-  
 tur. *Cyprian.*

D I E S XIII.  
 De Peccato Veniali.

I.

**D**Eus est Pater noster, sibi que, ut vide-  
 tur, hunc titulum honori ducit; cum  
 velit, ut eum omnibus nostris precibus  
 præmittamus, ad animandam nostram con-  
 fidentiam, ejusque amorem in nobis ex-  
 citandum. Itaque, ut sinceros filios de-  
 cet, cum ipso agere debemus. Quid dice-  
 res de filio aliquo, qui omnibus erga pa-  
 trem suum officijs limites poneret; ita, ut  
 ipsi obediret quidem in rebus magni mo-  
 menti, nulla in eum convitia jaceret, sed  
 ei displicere, & in sexcentis occasionibus  
 eum irritare non horreret; nullam huma-  
 nitatem, obsequium nullum ei præstaret;  
 nec leves in se curas suscipere, queis filij  
 amorem meliùs testaretur, si officia pro-  
 fus necessaria, excipias, quæ prætermic-  
 ti non possunt, nisi ab eo, qui omnem pe-



nitus exuerit humanitatem? haberétne pa- Augustus,  
rens causam huic agendi rationi acquie-  
scendi? an non majorem ex ea doloris sen-  
sum caperet, quàm ex imperij detrectatio-  
ne, aut iracundiæ impetu famuli cujusdam?  
hæc tua est cum Deo agendi ratio, qui Pa-  
ter noster est, & omnium patrum opti-  
mus. Si tam parùm horroris habes à pec-  
catis venialibus committendis, credisne,  
hoc Deo posthac probatum iri? videtur is  
sanè, minùs quodammodò commoveri  
peccatis gravibus hominis vitæ liberioris,  
vel ethnici cujusdam idololatræ,

II. Iesus Christus amicus noster est ;  
nec dedignatur hunc titulum acceptare, si-  
mùlque nos honorare amicos suos nos ap-  
pellando. Amicus aliquis, qui fugit obse-  
quia, quæ amicitia natura postulat, nec ve-  
rus, nec utilis amicus est. Non amo ami-  
cum, qui in gravi duntaxat periculo, vel  
extrema necessitate servire mihi cupit.  
Deus avertat à me infelicitatem, ejus o-  
perâ unquam indigendi, amicum amo, qui  
cunctis occasionibus mihi gratificandi in-  
tentus sit, qui eas quærat, qui eas præver-  
tat, qui vel in minimis displicere mihi ve-  
reatur. Modicum quid est, inquit verus  
amicus; at amico meo displicet; vitare i-  
gitur id oportet. Nihil est modicum eo-



Augustus.

rum, quæ homini amato placent, vel displicent. Hi sunt animi sensus, quos amicitia tenera, & sincera suggerit; & qui similes non habet, vel non amat, vel parùm amat. Ah! possúmne posthac dicere, mi Deus, te à me amari, cùm tam parùm timeam tibi displicere, dum admitto defectus, quos propterea leves appello, quia parùm amoris erga te habeo?

III. Christus Iesus sponsus est animarum nostrarum, easque sponsarum suarum nomine honorare cupit. Quid diceres de aliqua sponsa, quæ fidem necessariam sponso suo servasse contenta, nihil ipsius causâ ageret, nec eum tenerè amaret, nullóque in eum studio ferretur; cùm tamen tenerum hunc amorem & obsequia alteri cujdam impenderet, ejusque amicitiam aucuparetur? & sanè forétne hæc majori, quàm perfida quædam apud sponsum suum in pretio? qua enim fronte ab eo exigere amorem, gratiásque singulares postulare posset? Christus est sponsus noster, & quidem sponsus zelotypus. In insolita quadam ratione delicatus est erga animas justas, quas ut sponsas suas æstimat, tolerabitne patienti animo, si mundus hostis suus ipsis arrideat, non sine sponsi divini contemptu? an non earum perfidiam

græ




graviter feret? non rarò minùs commove- Augustus,  
mur ab odio, vel injurijs alicujus inimici,  
quàm ab amoris defectu, vel modicis in-  
fidelitatibus, frequentatis tamen ab homi-  
ne, quem amamus. Et cur non timeam,  
mi Deus, exigui mei erga te amoris, &  
frequentium perfidiarum effectus, licèt il-  
læ leves mihi videantur? & quomodo ex-  
pectare à te ausim ob hanc tecum agendi  
rationem, gratias extraordinarias, quibus  
tamen mihi tories opus est? Domine hoc  
agendo non mihi, & multò minùs tibi æ-  
quus sum: hoc sanè non est te timere; sed  
multò magis contemnere.

*Assuesce defectus tuos non leves reputare,  
quandoquidem illis Deus tam grandis, & tam  
benignus offenditur. Persuade tibi, te modico  
in Deum amore ferri, si id, quod ei displicet,  
rem levem esse judicas.*

Qui fidelis est in minimo, & in majori  
fidelis est. *Luc. 16. 18.*

Nec citò ad majora progreditur, qui e-  
tiam parva formidat. *Hieron.*




K 3

DIES



Augustus,



## DIES XIV.

## De Mendacio.

## I.

**H**OMO ad societatem natus est: societas autem non conservatur, nisi per commercium, quod inter homines intercedit, & vitam insuper suavissimam juxta, & utilissimam reddit. Hoc verò commercium consistere non potest, absque bona fide, & mutua, sincerâque animi sensuum communicatione. Ubi veritas non est, ibi societas vigere non potest. Proinde per mendacium commercium destruitur, societas perit, & mundus fraudum & insidiarum cloaca evadit; ubi quisvis à proximo suo sollicitè sibi caver, ne ab eo decipiatur. Hanc ob causam vir honestus nullum probrum tam graviter fert, quam cum mendax vocatur. Imò animi commotio non rarò hominibus persuadet, tantam contumeliam non nisi sanguine illius, qui eam intulit, extingui posse: permolestum nobis accidit, probrum, quin & suspicionem mendacij incurrere; & non pudeat nos, dum ad id proferendū adduci nos sinimus? quis, nisi tu, mi Deus, qui es

ve-



veritas & lux æterna, à tanta cæcitate liberare nos potest? Augustus.

II. Mendacium non est, nisi inertium, & abjectarum animarum; animalia imbecillima, & ignavissima sunt omnium callidissima, & fallacissima; sic & mentes vilissimæ, corda ignavissima sunt minùs aperta, minùsque sincera: homo mendax est omnis generis peccatorum capax, cum nec prima conscientia, & honestatis habeat elementa. Qui præclaram habet animam, & cor nobile, ignorat, quid sit mentiri: persuadet enim sibi, illum semetipsum prodere, qui animi sui prodit sensa, & honori renuntiare, cum veritati renuntiat. Quomodo talis cogitationes viles, & probrosas non fovet in animo, sic arbitratur, nihil se animo, aut cogitatione volve- re, quod jure erubescat manifestare. Prudentia quidem, & charitas aliquoties ipsum inhibent, quò minùs omnia effutiat, quæ in mente habet, neque tamen admittunt, ut aliter, quàm sentit, loquatur: nec ullum invenitur commodum, quod ad hoc adigere ipsum possit; cum omnium commodorum præcipuum ei sit commodum honoris, & conscientia, quod absque sinceritate, & æquitate subsistere non potest.

K 4

III. Deus



Augustus,

III. Deus veluti prima Veritas averfionem à mendacio naturæ suæ inſitam, & eam quidem infinitam habet; is æquè parùm decipere, vel mentiri poteſt, quàm parùm fieri poteſt, ut is ipſa veritas eſſe ceſſet: idcirco neque approbare, nec licitum facere mendacium poteſt: & ſi hoc poſſet, Deus non eſſet; actiones, quæ proſus illicitæ videntur, in certis caſibus licitæ evadere poſſunt: ſic homo interimere poteſt alterum hominem, qui ipſum aggreditur, dummodò juſtæ deſenſionis limites non tranſgrediatur: nulla verò invenitur circumſtantia, vel occaſio, ubi vel leviſſimè mentiri ſit permiſſum; etſi ageretur de re maximi momenti, etſi ageretur nõ ſolum de conſervatione, ſed etiam ad veram fidem converſione totius vniverſi. Et nihilo minus mendacium leve nihili ducis, & id ob pueriles nugas quotidie proſers, quin & oblectationem ex eo capis. Qui verò huiusmodi delectatio cadere poteſt in Chriſtianum, in hominem, cui perſuatum eſſe debet, ad obrinenda maxima bona, ad impedienda omnia, & maxima mala, licitum non eſſe minimum mendacium dicere?

*Statue nunquam vel leviſſimum mendacium ob quamcunque cauſam proferre.*

Qui loquitur mendacia, peribit. *PROV. 19. v. 9.* SI



Si Christus est Veritas; profectò Chri- Augustus.  
stum negat, qui virtutem negat. Aug.  
Serm. 1. de Decoll. S. Io. Bapt.

DIES XV.

De Assumptione Beatissimæ  
Virginis.

I.

Assumptio Beatissimæ Virginis est consummatio ipsius sanctitatis. Angelus eam à tempore Mysterij Annuntiationis vocat gratiâ plenam. Quanta igitur fuit plenitudo hujus gratiæ in momento mortis ipsius? Maria à primo suæ Conceptionis momento sublimior in gratia, ardentior in charitate fuit, quàm Seraphini: quanta ergo fuit gratia, quanta Charitas in ultimo vitæ ipsius puncto? Deus solus, qui tot gratijs eam cumulabat, earum cognoscit mensuram. Et verò qualia fuere incrementa hujus gratiæ per totam ejus vitam, quæ ad sepruaginta duos annos se extendit? ad quem charitatis cumulum in morte non pervenit illa, quæ gratiæ, tanta fidelitate respondit, quantâ pura aliqua creatura respondere potest? ad eò ut quovis momento gratia non modò cresceret,

K 5

sed



**Augustus.** sed etiam geminaretur; Charitatem Mariae dicere possumus, tam perfectam in moris articulo fuisse, ut omnium Sanctorum conjunctim superaverit charitatem; eam non tam mortuam fuisse ob naturae defectum, quàm ob vim amoris.

*Multa filia congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.*  
**Prov. 31.**  
 29.

riuntur in amore Dei, Martyres pro amore Dei, sed non nisi ad Mariam spectat, mori ob vehementiam amoris Dei, hac ratione mori, estne mori?

**II.** Assumptio Mariae fuit Consummatio ipsius gloriae: gloria Mariae respondit ipsius humilitati; & quemadmodum humilitas ipsius fundamentum fuit elevacionis ipsius; sic & ejusdem fuit mensura. Decebat, ut ea supra omnes creaturas evereretur; quia inter omnes humillima fuerat.

*Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit.*  
**E. phes. 4. 9.**

rat. Hæc æquè, ac filius ipsius dici potest ad tam sublimem gloriam ascendisse, quia in tantam se demiserat profunditatem. Gloria Mariae ejus gratiæ, & charitati respondit; hæc vidisti, ubinã ipsa fuerit; ex hoc gloriae ipsius mensuram collige. Hæc quoque ejus dignitati respondit; adeoque sicut Deiparæ dignitas non tantum cujuscunque creaturæ, sed etiam omnium simul creaturarum dignitatem superavit; sic quoque causam habemus credendi, Mariam, sicuti sol plus luminis solus habet, quàm



quàm omnia simul astra, solam plus habe- Augustus.  
re gloriæ, quàm omnes sancti conjunctim,  
qui eam in ejus Assumptione intuiti excla-  
mant: *quæ est ista, quæ progreditur, sicut sol?* Cant. 6. 9.

III. Assumptio Mariæ Consummatio est  
fiduciæ nostræ. Et sanè, si ipsa hodie in  
cælum ascendit, si ad dexteram filij sui  
collocata est, factum id est, ut hominum  
patrocinium in se susciperet. Verebaris,  
inquit S. Bernardus, ad Patrem accedere:  
dedit tibi filium suum mediatorem; sed  
forsan etiam filij Majestas, quia Deus est,  
te terret; dedit Matrem suam post filium,  
mediatricem: accede igitur confidenter ad  
hunc gratiæ & misericordiæ Thronum:  
subinde citius audieris, dum Matrem acce-  
dis, quàm si illicò accedas filium; non,  
quòd ea plus, quàm ipse potestatis habeat,  
& misericordiæ; cum quidquid ea habet,  
ab illo habeat: sed quòd filius, et si miseri-  
cors, simul etiam justus, & si Servator no-  
ster est, ramen Judex quoque sit. Si pri-  
mum nobis inspirat sensum confidentiæ,  
alterum nobis timoris sensum imprimit.  
Sed in Maria nihil est, nisi misericordia,  
nihil nisi tenerrimus Matris amor: *In Maria*  
*pura humanitas.* Itaque quantumcunque *Beyw.*  
miser, & peccator sis, accede ad Mariam  
non tantùm sine timore, sed etiam cum o-  
mi



**Augustus.** mni confidentia, certumque habero, te non repellendum.

*Gratulare Mariæ, ejus gloriam, & potestatem; sed & de ea tibi gratulare, cum ipsius gloria & potestas confidentiæ tuæ sint incitamenta.*

Quæ est ista, quæ ascendit? Pulchra, ut Luna, electa, ut Sol. *Cant. 3. 6.*

Quantum enim gratiæ in terris adeptus est præ ceteris, tantum & in cælis gloriæ obtinet singularis. *Bern.*

## DIES XVI.

## De Recto usu Bonorum.

## I.

**B**ona nostra non rarò nobis mala fiunt, idcirco, quòd malè ijs utamur. Divitem esse, malum non est; sed grande malum est, divitijs abuti. Una è præcipuis Christianæ prudentiæ occupationibus est, hac de re præscribere regulas. Hæ ad tres reduci possunt: moderanda nimia bonorum terrenorum cupiditas, in ijs expendendis servandus modus, earum conservationi studendum. Primò moderari oportet earum cupiditatem; ea enim si nimia sit, hominem magnis periculis exponit, ac omni



mnitentationum, & vitorum generi adi-  
tum præbet: unde oritur aviditas, quacun-  
que discriminis alea, bona corradendi.  
Qui festinat ditari, inquit Spiritus Sanctus,  
non erit innocens. Si quis ea cumulandi im-  
moderato flagrat deliderio, tempus vix  
habet inquirendi, an media sint legitima.  
Hinc oritur negligentia illa, notitiam sibi  
comparandi certorum punctorum, quæ  
forsan hominem obligarent ad restitutio-  
nes sibi incommodas; ad obligationes e-  
nim, quibus satisfacere nolumus, ignoran-  
das, perquam proclives sumtis: hinc di-  
lationes continuæ, ubi de expungendis  
debitis agitur, quia non consideramus, haud  
minorem esse injustitiam bona aliena reti-  
nere, ubi ea reddere possumus, quam ea  
rapere.

Augustus.

Prov. 13.

20.

II. Secundò in bonis suis expendendis  
servandus modus. Primò quidem sum-  
ptus moderari ac metiri oportet è bonorum  
quantitate. Injustitia in cælum clamans,  
& verum latrocinium est, plus bonorum  
expendere velle, quam possideamus. Est,  
luxum suum fovere mercatorum, & opifi-  
cum sumptibus. Annon furatur, qui de-  
bita conflat, quibus expungendis impac-  
est? dein congruere debet cujusvis condi-  
tioni; discrimen modò nullum inter ho-  
mi-



Augustus. minimum status advertitur; vanitas & ambitio omnes sustulere limites, quos aequitas, & ratio inter eos statuerat; qui minoris a suis natalibus aestimantur, a luxu suo plurtis aestimari cupiunt. Illi praeterea, qui connubio illigati sunt, sumptus suos meriti debent e numero liberorum, quot habent, qui plures habent, parciores quoque in faciendis sumptibus esse tenentur. Crudeles sunt parentes illi, qui voluptati & vanitati suae omnia concedunt, ut eorum liberi fortassis habituri non sint, quod sibi sufficiat necessitati. Denique sumptus respondere debent officio Christiani, quod ipsis modestiam praecipit; dum eos in sacro Baptismate obligat ad renuntiandum mundi pompis. Nuditas pauperum, & altarium annon ipsis ingenti probro est, spectato luxu, qui in eorum aedibus, suppellectili, & alijs apparatus cernitur?

III. Studendum bonis suis conservandis. Pater familias ratione status sui obligatur ad conservanda, bene administranda, & aliquoties etiam augenda sua bona, si id legitime possit, ut liberorum suorum sustentationi provideat, nosque in vitae statum conditioni suae congruentem collocet; cum timendum sit, ne, si ipsorum fortunam neglexerit, eorundem honorem,

&amp;



& salutem in discrimen adducat. Hæc Augustus.  
est obligatio, quam Deus, qui potiori nomine, quàm ipsi, liberorum est pater, eis injunxit. Itaque illi, qui vel per lugendam socordiam, vel laboris merum, & quietis amorem, vel immoderatum in sua com-  
moda affectum, familiæ suæ curam, suorumque liberorum negligunt sustentationem, qui negotia sua valdè implicata relinquunt, controversiarum, & dissensionum fontem, & quod consequens est, multorum scelerum occasionem: unde liberi ipsorum fortunis suis everruntur, atque ipsa illorum salus periculo exponitur, annon hi tales propriæ etiam conscientiæ perniciem struunt, salutemquè suam in evidens discrimen conijciunt? quanta hæc parentibus vel voluptuosis, vel negligentibus timendi causa?

*Si Providentia divina te in statu aliquo collocavit, in quo bona possideas, inquire, quomodo hæc regulas observes.*


Divitiæ si affluent, nolite cor apponere. *Psal. 61. 11.*

Divitiæ si fluant, non vides, quia si ibi cor posueris, & tu flues. *Aug. in Psal. 61.*

DIES



Augustus.



## DIES XVII.

## De Necessitate Orationis.

## I.

**S**alus est unicum illud necessarium, de quo  
 Servator loquitur, gratia est medium  
 ad salutem obtinendam necessarium; ora-  
 tio verò medium est necessarium ad gra-  
*Luc. 18, v. 1.* tiam obtinendam. *Oportet semper orare,*  
 inquit Christus. Necessitas orationis gra-  
 tiæ necessitatem ostendit. Et necessitas  
 gratiæ necessitatem ostendit orationis;  
 cum hæc illam impetrandi, medium sit,  
 vel unicum, vel præcipuum. Sunt gra-  
 tiæ, inquit S. Augustinus, quas Deus no-  
 bis concedit non rogatus. ut est vocatio  
 ad veram fidem; cum id, quod non cogno-  
 scitur, peti non possit. Alias gratias,  
 quod attinet, juxta cursum divinæ Provi-  
 dentiae ordinariæ, Deus eas non conce-  
*Luc. 11, 9.* dit, nisi petantur: *petite & accipietis: con-*  
 cedentur vobis gratiæ, sed ea lege, ut eas  
 petatis. Est ergo oratio omnino necessa-  
 ria. Felix profectò necessitas, quæ nos ad  
 orationem impellit: est enim oratio agni-  
 tio subjectionis, qua Deo subsumus, & indi-  
 gentiæ auxiliij divini frequens ad Deum

con-







Augustus.

ad faciendum bonum necessaria est, magis utique necessaria est, ut in ea perseveremus. Perseverantia, inquit S. Augustinus, est unum ex illis donis, quod Deus non nisi instanti orationi concedit.

III. Oratio non minùs ad evitandum malum, séque ab eo liberandum, quàm bonum faciendum necessaria est. Ad evitandum malum necessaria est propterea, quòd Christus voluit, ut orationem, quam ipsemet nos docuit, finiremus, perendo liberari à malo, maximè verò à supremo malo, quod est peccatum. Cùm imbecilles, & ad malum proclives simus, in nobis ipsis, præter orationem, non invenimus remedium, quo imbecillitatem nostram roboremus, & funestam hanc propensionem reprimamus. Unde etiam Servator, prævisa formidabili tentatione, quæ tempore cruciatuum suorum discipulos aggressura esset, ipsis dixit, excepta vigilantia, & oratione nihil esse, quod roborare eos possit, ne tentationi succumbant; idcirco admonitione ejus neglecta horrendum in modum fuere lapsi. At oratio non minùs necessaria est, ad nos è peccato, postquam in id lapsi sumus, eripiendos: peccator est quodammodò paralyticus, qui omnibus membris captus non nisi linguae pol-



pollet usu ad miseriam suam detegendam, Augustus.


opemque petendam. Status, in quo peccator versatur, adeo eum debilitat, ut nec gressum movere queat, quo ad Deum revertatur. Quidquid is præstare potest, in hoc consistit, ut miseriam suam agnoscat, eam Deo aperiat, & ab ea liberari petat. Hoc unicum ipsi superest medium; quod si abesset, insanabilis foret. Certi sunt rerum concursus; in quibus peccator excepta orationis gratia, aliam non habet: Deo sint laudes, qui dum orationem mihi relinquit, certum mihi suppeditavit remedium, misericordiam suam flectendi; inquebat David.

Benedictus  
Deus, qui  
non amovit  
orationem  
meam &  
misericordiam suam  
a me Psal.  
65. 20.

Quantumcunque miser sit status, in quo versaris, orare potes: ora igitur, & ora frequenter; non est gratia, quam per orationem obtinere non possis.

Oportet semper orare, & nunquam deficere. Luc. 18. 1.

Deus impossibilia non jubet; sed jubendo monet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis. Aug.



L 2      DIES



Augustus.

## DIES XVIII.

De Necessitate vitæ ordinatæ  
instituentæ.

## I.

**A** Eternitatis nostræ felicitas è vitæ nostræ sanctitate pendet: sanctitas vitæ nostræ pendet è moderata ad regulas vivendi ratione, & ratio hunc in modum vivendi, è quovis die probè transacto; quia vita nostra cum aliud non sit, quàm series dierum sibi succedentium, qui eam componunt, dici potest, quòd, quamvis diem piè, Christianèque transigere, sit bene, & sanctè vitam suam traducere, atque ita felicitatem æternam certam sibi reddere. Verùm non satis est, bonum facere, sed oportet illud bene facere. Bonum aliquod cum socordia, ex arbitrio nostro, ex consuetudine, ex necessitate, ob hominum respectum facere possumus: sed bonum hac ratione facere, non est bonum facere, cum non sit illud facere, sicuti oportet. Vitæ sanctitas non versatur in eo, ut frequenter extraordinaria præstemus; cum sancti evadere possimus, etsi non nisi communia, sed modo non communi agamus. Hæc est una solidissimarum veræ pietatis praxium. Hæc est, Domine,



mine, arcanum quoddam vitæ spiritualis, Augustus  
& quidem arcanum, quod ferè non nisi hu-  
milibus, & fidelibus revelas.

II. Quid est agere communia modo non  
communi? est ea agere cum intentione pu-  
ra, cum fervore, & præsertim ex regulæ  
cujusdam præscripto. Inveniuntur ho-  
mines, qui multum boni quidem faciunt,  
sed absque ordine, & regula: hinc ipsum  
bonum, si hoc modo factum non est, boni  
nomen haud meretur. Plurium, ut ita lo-  
quar, devotulorum error est, è naturæ im-  
petu agere, hodie boni quid agunt, quia  
ad id inclinari se sentiunt, cras id intermit-  
tunt, quia id agendi evanuit desiderium.  
Una die plus, alterâ minus facient, quàm  
deceat; idcirco non rarò plurium hebdoma-  
dum laborem intra unius spatium diei de-  
struunt: *Unus edificans, & alter destruens,*  
*quid prodest illis, nisi labor?* Hæc agen- *Eccl. 34*  
di ratio devotulorum quorundam prodit *v. 28.*  
levitatem; quæ proin veram pietatem  
reddit infamem, & ab ea avertit illos, qui  
eidem se addicere vellent: nihil hac incon-  
stantia magis adversatur veræ pietati, quæ  
semper sibi similis, & æqualis est, utpote,  
quæ fulcitur principiis ijs, quæ minimè  
variantur, ratione videlicet, & fide. An

L 3

non



*Augustus.* non pietatis tuæ inconstantia inde oritur ;  
quòd ex hisce principijs non agas.

III. Nihil igitur majoris est momenti,  
quàm, ut assuescamus rectam, constantem-  
que vivendi rationem tenere, nostraque of-  
ficia, & functiones, atque omnia pietatis  
exercitia ritè peragere: nam, cùm peragun-  
tur, ut regula exigit, majore cum facilita-  
te peraguntur: si enim hæc ut plurimum  
eodem modo, & ex regulæ præscripto a-  
gamus, fit, ut inde habitum contrahamus:  
proprium autem hujus habitûs est res no-  
bis reddere faciles, ut ob hanc ipsam facili-  
tatem eas perfectè obeamus: si enim eas,  
ut regula exigit, faciamus, bene eas faci-  
mus: & eas semper bene faciendo, in dies  
facere meliùs addiscimus, & sic denique  
ad perfectionem pertingimus. Verùm a-  
ctiones nostras perfectè obire non possu-  
mus, quin grande meritum obtineamus;  
cùm omne actionum nostrarum meritum  
ex earum perfectione pendeat. Denique  
si bonum secundùm regulam facimus, cum  
id constanter fit: cùm enim inconstantia  
nostra plerumque inde oriatur, quòd è  
naturæ ductu agamus; idcirco si juxta re-  
gulam agimus, constanter agimus: qui i-  
gitur fit, ut, cùm aliquoties multùm labo-  
res, tam parùm proficias? causa est, quòd



*pro singulis anni diebus.*

167

è genij tui impulsu vivas: id est, quòd ad Augustus.  
regulæ præscriptum non agas.

*Statue deinceps secundùm regulam vivere,  
ut inconstantias tuas è medio tollas.*

Justè, quod justum est, persequeris.  
Deuter. 16. 20.

Soliciti circa custodiam ordinis, ut ordo  
custodiat vos. Bern.

---

## DIES XIX.

### De Modo Diem Christiano more transigendi.

I.

**U**T Christiano more vivamus, ad regu-  
læ præscriptum vivere nos oportet ;  
ut verò ad regulæ præscriptum vitam no-  
stram instituamus, actiones quotidianæ be-  
ne ordinandæ sunt. Primò quidem actio-  
num nostrarum naturam probè examina-  
re debemus, ut sciamus, quænam facien-  
dæ, quænam intermittendæ sint. Tria  
sunt actionum genera, quæ vitam nostram  
totam componunt. Primæ cultum divi-  
num spectant, uti sunt Oratio, Missæ Sa-  
cramentum, Meditatio, vel Lectio, Sacra-  
mentorum usus, & omnia pietatis exer-

L 4

ei-



**Augustus.**

Regula in ijs observanda in hoc consistit, ut nobis legem statuamus inviolabili constantia tenendam, nisi, cum eam vel servare non possumus, vel charitas non admittit, cui primus semper debetur locus. Secundæ actiones spectant ad nostra negotia, functiones, & munera conditioni nostræ annexa. Ratio tres nobis regulas pro hoc functionum genere præscribit. 1. officia sua cum gaudio obire. 2. ea, quæ præstare obligamur, semper præferre arbitrarijs, licet hæc illis perfectiora sint. 3. non suscipere negotia, quæ negotio salutis nostræ sociari non possunt, vel ab eo nimium nos avertunt. Tertij generis actiones sunt illæ, quæ nostras animi remissiones spectant: subinde enim relaxare animum oportet. En regulas hac in re observandas. Quemadmodum oblectamenta, & recreationes veluti remedia infirmitati nostræ conceduntur, sic ijs quoque utendum, ut medijs, quæ non nisi necessitatis causâ adhibentur; ac propterea moderatè usurpantur, neque periculosa admittuntur: quanta enim fatuitas vitam suam conservare velle medijs, quæ nos in discrimen, eandem amittendi, conjiciunt?

II. Se-



II. Secundò observandum est actionum **Augustus.**  
nostrarum tempus ; idcirco, ubi consideraverimus, quid conditio, sanitas, vires, & muneris nostri functiones admittere possint ; Deum insuper, & Moderatorem nostrum, qui ejus tenet locum, consuluerimus, ipsimet nobis ordinem quendam diurnum præscribere debemus, qui nobis indicet tempus, quo actio quævis obeunda, quantumque temporis ei tribuendum sit. Hoc modo res ordine fient, confusio, & tædium evitabitur ; è quibus plerumque oriuntur otium, & incertitudo illius, quod agendum est. Atque hoc modo participes siemus illius commodi, quo Religiosi gaudent, quibus semper certum est, se Dei voluntatem facere, dum regulas suas observant : ubi hunc ordinem nobis præscripserimus, constanter eum tenere nos oportet, ne vel ex ignavia, vel infidelitate, vel levitate, vel fastidio, quod aliquoties in eadem semper re tractanda experiri solemus, ab eo recedamus. Neque tamen huic ordini servili modo nos subijcere, nec religioni nobis ducere convenit, illum mutare, ubi ratio, vel necessitas, vel charitas, eum mutandum esse suadent. Annon vel infidelitas tua est, non verò supra dicta motiva, quæ te ad mutandum sæpe nume-



**Augustus,** ro induxerunt ordinem, quem tibi præscripsisti?

III. Tertiò actionum nostrarum modum ad rationis normam exigere debemus. Modus iste duo complectitur: methodum, quam in ijs tenere, & interiorem animi sensum, quo nos animare debemus. Quod attinet ad methodum, consultum est, talem sibi præscribere, qualem quis pro actionibus præcipuis potest. Ut sunt, Oratio, Missæ Sacrificium, Confessio, & Communio. Non omnis methodus congruit omnibus: quæ enim accommodata est uni, alteri idonea non est; idcirco ea respondere debet ætati, corporis habitudini, conditioni, officijs, & alijs dispositionibus, ac cujusvis propensione. Quemadmodum dispositiones istæ, & propensio mutari possunt; sic etiam methodus juxta Moderatoris instructionem mutari debet. Inveniuntur animæ, quas Spiritus Sanctus dirigit, & modo peculiari ad se trahit, quin aliqua methodo indigeant, hujusmodi animæ methodo subijciendæ non sunt. Ac similibus paucas invenire est. Quod attinet ad spiritum interiorem, consistit hic primò in intentione, quæ actiones nostras animare, eisque meritum tribuere debet, & pretium: præcipua esse debet, glorificare Deum



Deum. Secundò in fervore, qui actiones minimas multùm elevat, eásque perfectas reddit, quæ aliunde satis imperfectæ videbantur. Augustus.

*Statue tibi met juxta monitum directoris tui ex hisce regulis ordinem diurnum facere, eumque sequi.*

Corroboratúsque est Ioatham, eò quòd direxisset vias suos coram Domino. Paral. 2. c. 27. 6.

Omnia, quantò magis ordinata sunt, tantò magis utique bona sunt. Aug.

---

## DIES XX. De Humilitate.

### I.

**S**alutem æternam non consequemur, si prædestinati non sumus: prædestinati verò esse non possumus, si Christo similes non sumus: at similes ei non sumus, si humiles non sumus; neque humiles esse possumus, sine nostri despicientia; nam, ut magnus æquè, ac humilis Bernardus ait, cujus hodie festa dies agitur, incassum laboras humilitatem acquirere alio medio, quàm tui abjectione. Qui igitur fit, ut tanto cum horrore eam fugiam? heu me!  
fru-



Augustus.

frustrà eam fugio; vel invitum me sequetur, umbræ similis, quæ sequitur fugientes se. Ea mihi obveniet à creaturis, à Deo, & à me ipso. In me ipso tantam me abijciendi causam invenio, ut à me separare me deberem, quò me à mei depressione eximerem. Cùm igitur illam evitare nequeam, cur non laborem inde profectum haurire, eam, si non cum gaudio, saltem cum patientia acceptando? Divus Bernardus vir ille admirabilis, qui tantam gloriam merebatur, quémque gloria sequebatur, eandem fugitabat, & incredibili ardore sui despicientiam consectabatur. Et ego, qui nil nisi despici mereor, gloriae inhio. Quanta iniquitas?

II. Verum est: nihil acerbius naturæ accidit, nihil rationi, propensionibusque nostris magis adversatur, quàm contemni; sed fidei nostræ nihil magis congruit; nihil magis conveniens est luminibus gratiæ, quæ nostri depressionem oculis mentis proponit, velut unum è tutissimis medijs, salutem nostram non solum in tuto collocandi, Deique, gloriam suam in ultronea hominis despicientia constituentis, honorem magnopere promovendi: verum etiam Christo, cujus vita continua fuit sui depressio, similes evadendi, ejus amorem  
quo



quo solos suos imitatores dignatur, pro-  
merendi; ac denique nostrum vicissim per-  
quam difficili proprii honoris sacrificio ei  
testificandi. Si tantum virtutis non ha-  
beamus, ut nostri contemptum amemus,  
exemplo S. Bernardi, tantum saltem ha-  
beamus fidei, & rationis, ut illum sine  
murmuratione perferamus. Non est, ni-  
si amor tuus, mi Domine, & quidem amor  
generosus, qui me ad mei despicientiam,  
quam tu tenerrime amasti, animare possit:  
sed nihil quoque est, exceptis mei contem-  
ptu, & ærumnis, quod certissimum sit mei  
in te amoris argumentum: omnia alia, vel  
debilia, vel dubia sunt.

III. Videor mihi, Domine, longo jam  
tempore ingens sentire desiderium, amo-  
rem tibi meum comprobandi; cum mei de-  
spicientia argumentum potentissimum,  
tutissimumque sit, quod offerre tibi possum,  
incipit illa mihi hanc ob causam amabilis  
videri. Qui ergo sit, ut ab ea tantopere  
abhorream, & simul eam, ut mihi videatur,  
amare velim? cur mihi subinde desideria  
illam amplectendi per modos occultos tua-  
rum depressionum, per generosum contem-  
ptum æstimationis hominum, & sincerum  
depressionum amorem impertis, si illam  
a me non exigis? si verò illam exigis, cur  
mihi



**Augustus.** mihi tantam relinquis ab ea averfionem ?  
 Aufer à me vel hos animi fensus, vel hanc  
 averfionem ; vel potiùs vires ad eam fupera-  
 randam mihi fuppedita. Da mihi gratias  
 potentes, quas concessifti S. Bernardo,  
 quæ ipfum in medio tantæ gloriæ tam per-  
 fectè humilem reddidère.

*Nihil magis humilitatem inſpirare tibi debet,  
 quàm horror, quo tui deſpicientiam averſaris ;  
 cùm nulla res meliùs oftendat, quàm parùm a-  
 nimi tui ſenfus ſimiles ſint Chriſti ſenſibus.*

Quantò magnus es, humilia te in om-  
 nibus, & coram Deo invenies gratiam.  
*Eccli. 3. 20.*

Humilitatis virtutem ſi appetis, viam  
 non fugias humiliationis. *Bern.*

## DIES XXI.

## De Vera, &amp; Falfa Pietate.

## I.

*Matth. 5.  
 20.*

**N**ifi abundaverit juſtitia veſtra, inquit filius  
 Dei, plus, quàm ſcribarum, & Phariſæo-  
 rum, non intrabitis in Regnum Cælorum. Qui-  
 bus verbis Servator nobis falſam pietatem  
 genuinè depingit, omnèsque ejus notas in  
 moribus Phariſæorum proponit, ſimulque  
 veræ pietatis proprietates oftendit. *Pha-*

xi



rifæi totam suam pietatem ponebant in re- **Augustus.**

bus exterioribus, in legis Cæremonijs, & quidem non rarò superstitiosis, cùm tamen hujus virtutis præcipua occupatio sit, adorare Deum in spiritu & veritate, per exercitia veræ fidei, & charitatis sinceræ.

Pharisæi sibi et ipsis indulgebant, severi erga alios. *Et sic onera gravia, & importabilia imponebant: digito autem suo nolebant ea movere.*

**Matth. 23.**  
**v. 4.**

At vera pietas sibi et ipsi est severa, & alijs indulgentissima. Pietas Pharisæorum eos impellebat, ut millenas nugas religioni sibi ducerent, *excolantes culicem; camelum autem devorantes.*

**Ibid.**

Virio dabant Apostolis, quòd manus non lavarent, neque tamen poenâ dignos se judicabant, quòd conscientiam haberent sceleribus contaminatam: sed pietas vera non negligit res parvas; magis tamen, ut legis natura requirit, de majoribus curat.

II. Pietas Pharisæorum proprio inhæbat commodo: *Devorabant, inquit Christus, domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis, quam pro ipsis facerent.* At vera pietas in nulla re seipsam quærit promovendo Dei honori, & bono proximi unice intenta, sempèrque parata ad se, suæque gloriæ Dei, salutique proximi immolanda, ubi de ijs promovendis agitur. Pharisæi lyncei erant

**Marci. 12.**  
**v. 40.**

erant



Augustus.

*Matth. 7.*  
v. 4.

rant in observandis minimis aliorum defectibus, cum talpæ essent in propriis, licet crassissimis. Videbant festucam, inquit Christus, in oculo proximi sui, & trabem, quæ in ipsorum oculis erat, non advertabant. E contrario pietas vera reddit hominem minimis suis defectibus attentum, & in alienis cæcum. Pharisei ferventes erant in operibus à propria voluntate profectis; quod ea æstimarent, suæque arrogantie adulerentur, neglectis ijs, ad quæ agenda obligabantur: sic decimabant mentham, &

*Matth. 23.*

anethum, & Cuminum, & relinquebant, quæ graviora sunt legis, justitiam videlicet, fidelitatem, & misericordiam: at vera pietas operum arbitrariorû studio incensa, majori ardet studio operû, ad quæ obligatur. Pietas Phariseorum confectabatur Zelum amarum erga levissimos aliorum errores, ut falso hoc zelo obtegerent graviora sua peccata. Vera pietas correctionem à seipsa auspicatur, propriosque defectus præcipuam zeli sui constituit materiam.

*Matth. 6. 2.*

III. Pietas Phariseorum non querebat, nisi splendorem, nec zelum habebat bonorum operum, ijs solummodo exceptis, quæ ad ostentationem faciebant. Hinc filius Dei illis exprobravit, eos opera sua non facere, nisi ut videantur ab hominibus.



nibus, suas publicare eleemosynas, in pla- Augustus  
reis & hominum conspectu orare: cum ex  
adverso vera pietas non quærat, nisi se,  
suasque virtutes, & opera bona occultare,  
nec ea palam faciat, nisi, quatenus ad æ-  
dificandum proximum, & ad offensam ei-  
non præbendam est necessarium. Agno-  
scisne in te omnia hæc veræ pietatis signa?  
salutem æternam consequi non potes abs-  
que vera pietate; cum hæc alia non sit,  
quàm vera fidei Christianæ professio, nec  
nisi perperam vera pietas à fidei Christianæ  
professione distingui possit; cum esse ve-  
rum Christianum, & esse pium res sit una,  
eademque. Fortasse gloriaberis, te pium  
esse, cum tamen Christianus non sis; atque  
ex solo hoc signo cognoscere queas, an ve-  
ra, & sincera sit tua pietas.

*Examina te, missa tamen adulatione, ut vi-  
deas, an cognoscas in temetipso veræ pietatis si-  
gna: erubescere, & time, si ea non invenis; sed  
in hoc solo timore hærendum non est.*

Nisi abundaverit justitia vestra plus,  
quàm scribarum & Phariseorum, non in-  
trabitis in Regnum Cælorum. *Matth. 5. 20.*


Devotio est mentis conversio in Deum  
pio, & humili affectu. *Aug.*

M

DIES



Augustus.



DIES XXII.

## De Mansuetudine.

I.

**M**ansuetudo Christiana non est effectus animi hebetis, & timidi, indolis felicitis, bonæ educationis, vel honestatis naturalis: sed virtus excellens, quæ est effectus patientiæ ad Lapidem lydium omnium malorum, & injuriarum comprobatus; est effectus humilitatis profundæ, quæ se contemptu dignam reputat; nec unquam sibi perluadet, injuriam sibi fieri posse; est effectus compressionis continuæ impotentium animi affectuum, quos ipsa rationi, & gratiæ adeo subjectos tenet, ut nec minimam ijs immoderatam commotionem permittat. Est virtus, quæ omnes ferè alias virtutes complectitur, vel supponit. Est effusio unctionis Spiritus Sancti in animam; est indicium clarissimum plenitudinis Iesu Christi cor hominis plenè possidentis: nemo præter Christianum, & quidem perfectum Christianum virtutem hanc habere potest; quemadmodum nemo verè Christianus est, qui eâ caret, propterea, quòd spiritum Christi non habeat. Im-

pa-



patientiae tuae tam ordinariae, acerbitates Augustus.  
tuae, & forsan iracundiae tuae imperus sat  
ostendunt, te verè Christianum non esse;  
quia spiritum Christi non habes, qui spiri-  
tus mansuetudinis est.

II. Mansuetudo duos habet effectus :  
primus est, iracundiae moderari. Secun-  
dus, malevolentiam, & animi dolorem  
reprimere : mansuetudo non penitus ex-  
tinguit iracundiam, quia forsan ea iusta  
esse potest ; cum non rarò sit effectus ze-  
li, & remedium contra defectus, quos e-  
mendare cupit : sed iram coërcet, facitque,  
ut non facile, nec frequenter, & quidem  
non nisi gravibus de causis irascamur.  
Mansuetudo concedit, ut iracundia quan-  
doque rationem propugnet, sed non, ut il-  
lam prævertat, vel turbet. Hæc impe-  
dit, ne iracundia in imperus prorumpat,  
& cæco modo sæviat. Hæc verba acer-  
biora, asperiora, vel injuriosa proscribit :  
& si interdum exprobrationibus utatur ;  
cavet tamen, ne delinquentem offendat :  
hæc vult, ut illæ è charitate, & zelo, & non  
ex animi commotione proficiscantur. Si  
pænas infligit, semper eae defectibus sunt  
minores ; ita, ut reus, nisi ultrò cæcutire  
velit, probè sentiat, errorem, non perso-  
nam peti ; idque solum intendi, ut se corri-

M 2 gat,



**Augustus.** gar, non, ut exacerbetur. Observasne hosce modos in tua iracundia? si hoc non facis, credisne, id commodum esse medium ad aliquem errorem corrigendum, dum iræ tuæ impetu majorem fortasse committis errorem?

III. Alter effectus mansuetudinis est, omnem offensæ sensum reprimere, & penitus ex animo repellere non tantum odia, & vindictæ desideria; sed ipsas etiam acerbitates; imò omnem charitatis languorem, & remissionem adversus eos, qui nos offenderunt. Tantum abest, ut in verba mordacia erumpat, ut homo perfectè mansuetus etiam à querelis, & amicis exprobrationibus abstineat, magis dolens de offensa Dei, quàm de malo sibi illato; injurijs moveri non videtur, nisi eatenus, quatenus Deus per eas offenditur, & quatenus mala in eorum authorem redundant; neque contentus malis, quibus affectus est, ignovisse, veniam à Deo quoque impetrare conatur ijs, qui ea ipsi inflixere. Tantum abest, ut inimicos suos odio prosequatur, etiam sincerè eos amat, vel potius alium inimicum, præter seipsum, & peccatum, sibi esse non arbitratur, nec malum sibi illatum aliter ulcisci, quàm benefaciendo novit, neque injurijs, quibus one-



ratur, aliud præter beneficia rependit; Augustus  
nec persecutionibus, quæ in eum suscitantur, reponit aliud, quàm patientiam, & silentium. Vide, quousque se extendas mansuetudo Christiana. Ah! quàm longè ab ea abes; & quantum abes à Christo, qui tam præstantia hujus virtutis documenta, & tam luculenta exempla dedit.

*Examina te, ut videas, an hæc de Christiana mansuetudine regulas observes; & erubescere, quòd tantopere ab illa sis remotus. Statue proin seridè eidem obtinendæ studere.*

Meliùs est humiliari cum micibus, quàm dividere spolia cum superbis. *Prov. 16. 19.*

Mansuetudine Rex noster vicit diabolum. Sæviebat ille, iste sustinebat. Victus est, qui sæviebat, vicit, qui sufferebat. *Aug. in Psal.*

---

D I E S XXIII.

De Ratione Morbos Sapienter perferendi.

I.

Diversi respectus, quibus considerare morbos possumus, diversas nobis animi affectiones ostendunt, quibus eos ex-



**Augustus.** cipere, fructumque ex eis capere debemus. Primò considerare morbos possumus, ut effectum peccati originarij, & infelicitatis illius, qua filij Adami nati fuimus, infelices delicti ab ipso admissi, & pœnarum eidem debitarum hæredes. Dum hoc consideramus, submittere nos oportet sententiæ, quam Justitia divina in posteritatem Adæ pronuntiavit, quæque nunc in nobis executioni datur; adorare oportet ejus dispositiones tam severas; sed quæ, licet pœnitus incomprehensæ videantur, efficiunt tamen, ut comprehendamus, quid sit Deus, quid sit peccatum; cum Deus non solum infinitè justus, sed & infinitè misericors tam horrendè puniat peccatum, rem, ut videtur, tam modicam; cujus effectus tamen adeò terribiles sunt: peccato enim adscribi debet diluvium omnium malorum, quod à sex annorum millibus, & amplius totum Univerſum inundavit. Non amplius hìc invenitur Noë aliquis, qui eximere se ex hoc diluvio possit; non amplius Arca, per quam servare nos possumus; necessarium est, ut omnes homines ejusdem fiant participes; & tu eo exemptum te velles?

II. Secundò morbos considerare potes velut pœnas, quas Justitia divina à te re-  
pos-



poscit ob propria tua peccata, tam gravia, Augustus,  
tamque numerosa. Et tunc debes eos

primò à Deo acceptare in spiritu pœnitenti-  
tiae, & cum Jobo dicere: *Peccavi Domine,*  
& cum pœnâ dignus sim, quantumcunque *Job. 33.*

gravia sint mala, quibus me affligis, ini-  
quitatibus tamen meis minora sunt. 2. Be-  
nedicere misericordem Dei severitatem,  
qui, cum videat, necessitatem tibi incum-  
bere pœnitentiæ agenda, & tamen ani-  
mum id præstandi tibi deesse, eam agendi  
tibi medium suggerit. 3. Amare, & be-  
nedicere bonitatem, & indulgentiam Do-

mini, volentis, licet hic morbus volun-  
tarius tibi non sit, nec eo te eximere possis,  
volentis, inquam, ut is tibi aliquo modo  
voluntarius evadat, & capax non tantum  
pro peccatis tuis satisfaciendi, sed & felici-  
tatem æternam tibi promerendi; si tamen  
eundem cum integro consensu voluntatis  
tuæ cum divina acceptes, & cum patientia  
toleres. Denique unire calamitates tuas  
debes cum ærumnis Christi; licet enim  
tuæ valdè imperfectæ sint; ærumnis ta-  
men Christi unitæ, quanti pretij non sunt?

III. Tertiò considerare morbos potes,  
ut effectum minùs ordinatæ vivendi ratio-  
nis, uti revera ejusdem effectus sunt in ijs,  
qui per suam intemperantiam, libidines,  
im-



Augustus

immoderatas animi remissiones, labores nimios, ad quos ambitio ipsos impellit, & alias inordinationes molestos sibi morbos accersunt. Si & tibi aliquid horum contingat; (& quàm pauci inveniuntur, qui penitus immunes sint?) necessarium est, primò agnoscere, & adorare manum Dei te percutientis, & jure te valitudine tua privantis, qua tam malè abusus es; simulque fateri, ut S. Gregorius ait, satius esse sentire ardores febris, quàm concupiscentiæ igne flagrare. 2. patienter ferre mala, quæ corpus tuum affligitur, ut id, quod tanto tempore fuit materia, & instrumentum peccatorum tuorum, materia, & instrumentum evadat poenitentiae tuae. 3. lætari, quòd regnum peccati in te destruat, ut Apostolus loquitur, & morbus tibi non sine insigni tua felicitate facultatem adimat Deum porrò offendendi. Denique gratias age Deo pro gratia tibi præstita, dum medium tibi suppeditat, expiandi per dolores, quos sentis, voluptates vitiosas, quibus hætenus te addixisti. Mala, quæ tibi acerbiora accidunt, hunc in modum considerata, cum hisce animi affectionibus acceptata, annon cessant esse mala?

EPI



*Erubescere, quòd hactenus tam malè usus fueris Augustus, morbis, dum eos non excepisti hoc modo consideratos : & statue deinceps meliùs ex illis proficere.*

Nec in infirmitate sua quæsiuit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est. 2. Paral. c. 16. 12.

Qui ex carnis blandimento peccavimus, ex carnis afflictione purgemur. Greg.

---

DIES XXIV.

De Mediis acquirendi, vel conservandi pacem animæ.

I.

**N**emo non vera pace gaudere cupit; sed pauci viam ingrediuntur, quæ ad illam ducit: Primum, tutissimùmque pacem obtinendi medium est, de nulla re sollicitum esse, quàm ut Deo placeamus. Si creaturis placere volo, non semper eis placeo; & ut ipsis displiceam, aliquoties satis est, nimium illis placere velle. Et hoc est, quod pacem meam turbat. Si quibusdam placerem, non placerem alijs; si placerem ipsis hodie, certum mihi non est, fore, ut etiam cras eis placeam. Homo adeò in-

con-



Augustus. constans, & mutabilis est, ut res ei hodie grata, cras ingrata sit. At, si omnibus, & semper placerem, redderétne me omnibus placendi felicitas meliorem? redderétne me perfectè contentum? Ah! sæpè me deteriolem reddit, & proin verè infelicem! potéstne igitur illa efficere, ut pacem possideam? verùm, si Deo placere volo, certum mihi est, me semper ei placere: & si Deo placeo, persuasum mihi est, me sanctum, me prædestinatum, me beatum esse, quantum quidem in hac vita fieri potest, & securum pignus habere, me olim æternum fore beatum. En veræ pacis originem!

II. Alterum medium pace gaudendi, est, nihil desiderare præter Deum. Si desidero, si quæro alia bona, non semper in mea potestate est, ea adipisci: Quàm multi divitias, honores, & voluptates optant! quantis conatibus eas obtinere nituntur, nec tamen obtinent! Desideria, quibus in hæc bona feruntur, ad nihil prosunt, nisi ad afferendam ipsis inquietudinem. Conatus, quos impendunt illis consequendis, ad nihil serviunt, nisi ad eos inutiliter fatigandos; & si eas haberent, ipsos non satiarent, nec quæsitam ipsis pacem afferrent. Bona hæc levia, superficialia, vana, & semper angustissimis terminis circum-



cumscripta sunt. Quí igitur cor, cujus ca- Augustus.  
pacitas immensa est, explere, ejúsque si-  
stere desideria possent, afferendo pacem,  
quæ non nisi in Deo inveniri potest. Omni-  
no mi Deus, si nihil desidero, si nihil quæ-  
ro præter te, certum mihi suppetit me-  
dium, te inveniendi, & possidendi. Plus  
non requiritur, quàm, ut me tibi donem, te  
inveniam, & possideam: dum enim te in-  
venio, omnia bona invenio: omnia desi-  
deria mea quiescent: cor meum conten-  
tum est, & pace gaudet, quam turbare  
nihil potest.

III. Tertium medium pace gaudendi Psal. 22. 2.  
est, Deo se penitus committere: *Dominus  
regit me; & nihil mihi deerit.* Inquit Pro-  
pheta. Deus cogitat de me; annon tutò  
mei oblivisci, & pace gaudere possum? Pro-  
fundo confidentiæ, & sustentationis meæ  
omnes habeo Providentiæ divinæ thesau-  
ros, qui ad me pertinent, si ei me commit-  
to: an mihi metuendum, ne ad inopiam  
redigar? Scio, voluntatem Dei erga me es-  
se voluntatem Patris, & omnium Patrum  
optimi: scio, hanc esse voluntatem boni-  
tate, & tenerrimo amore plenam. Ecquid  
igitur melius optare mihi possum, quàm, ut  
ea impleatur? Et certum mihi est, eam im-  
pletum iri semper, nisi ei me opponam.

Ah!



Augustus,

*In pace in id  
ipsum dor-  
miam & re-  
quiescam  
Psal. 49.*

Ah ! Domine, possumne habere cogitationem me tibi opponendi ? Non volo, nisi quod tu vis, atque ita mihi nil accideret præter id, quod volo : quis igitur pacem meam turbare potest ? Conijcio me in brachia Dei mei ; ibi requiescam, & indormiam sinui, ut ita dicam, amabilis ipsius Providentiæ. An non hoc est tranquillitate frui ? Si in terris Paradisus invenitur, an non eo gaudet anima sic comparata ?

*Cùm tantopere pacem optes, statue tribus hisce mediis uti ad eam obtinendam perquam aptis.*

Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras. *Philip. 4. 7.*

Pacem omnes desiderant, sed quæ ad veram pacem pertinent, non omnes curant. *Imit Christi l. 3. c. 25.*

## DIES XXV.

De Obligatione, quæ Christianis incumbit, perfectionem sequendi.

L

**P**erfecti estote, sicut Pater vester Cælestis. Hortatur Christus, non discipulos modo



dò suos, sed & omnes Christianos. Et Augustus.

verò paupertas spiritûs, animi à bonis terrenis separatio, necessitas sibi met renuntiandi, crucem suam portandi, animæ suæ saluti consulendi, injurias ignoscendi, inimicos suos diligendi, pro persecutoribus suis orandi, eis, qui nobis malefaciunt, benefaciendi, mundum contemnendi, fugiendi, & odio prosequendi, maxima mala sine murmuratione perferendi, prava desideria reprimendi, nullum iracundiæ motum admittendi, nullum verbum injuriosum proloquendi, annon sunt officia omnibus Christianis communia, & per necessaria? & quantam perfectionem ea non comprehendunt? annon vel sola horum officiorum praxis ex omnibus Christianis totidem redderet sanctos, ut S. Paulus eos plerumque appellat? an non talem fecit S. Ludovicum, cujus hodie festam diem celebramus? An non & nobis, cum Christiani simus, eadem obligationes incumbunt? An non eadem nobis media suppetunt eisdem satisfaciendi? An non ipse, utpote Rex graviora, quàm nos, obstacula habuit? Quid igitur excusationis afferre possumus, si evadere perfecti & sancti non conemur. Si exemplum Divi Ludovici in

præ-



**Augustus.**

præsentiarum nos non animat, quondam nos condemnabit.

II. Non igitur ad Religiosos solummodo, sed ad omnes Christianos spectat, quod Christus dicit; dum eos ad perfectionem sectandam hortatur. Non ad Religiosos scripsit S. Paulus, cum dixit, ut ij, qui bona possident, animum suum ab eis tanquam pere abstrahant, ac si ea non possiderent; ut ij, qui in conjugio vivunt, ad eum eadem amanti moderentur, quasi conjuge carerent; ut ij, qui utuntur hoc mundo, ita utantur, quasi eo non uterentur. Quanta perfectio! Et sanè necessarium est, ut Christiani, si muneri suo facere satis velint, in medio divitiarum cupiditatem exuant, in medio honorum humiles existant, in mediis voluptatum illecebris cupiditatibus suis imperare nōrint. Talis fuit S. Ludovicus, nempe perfectus Christianus, non sanctitate minùs, quàm regia dignitate Magnus. Deus nobis committit talenta; sed vult, ut ijs cum fœnore utamur: impertitur nobis gratias, sed vult, ut iisdem fideliter respondeamus: præclara media ad perfectionem enitendi, nobis suppeditat: An non æquum est, ut iis utamur? vineam suam, nempe animam nostram nobis committit, an non eum in finem, ut

eam



eam sedulò colamus ? forétne excusationis Augustus.

locus, si eam incultam relinqueremus ?  
Vult, ut ingrediamur viam rectam ; an  
propterea, ut in ea moremur ? An non hæ  
voces tanti sunt momenti, ut ad perfectio-  
nem sectandam nos obligent ?

III. Nisi talentis istis dignè, & cum foe-  
nore utamur, Deo satis non erit ea no-  
bis subtrahere ; sed nos insuper ut fures  
puniet, qui Domini diripuimus bona, queis  
utiliter usi non sumus ; cum deside illo  
Servo in tenebras exteriores nos conjiciet,  
& non tantùm gratiis, quas inutiles red-  
didimus, privabit, sed etiam ob admissum  
à nobis earundem abusum castigabit. Ne-  
gligentia, quam admisimus in usurpandis  
mediis, quæ nobis fuère suppeditata eum  
in finem, ut ad perfectionis apicem enite-  
remur, muneri statûs adeò perfecti satis-  
faciendo, nòsque exercendis, & acqui-  
rendis virtutibus Christianis applicando,  
ignavæ instar prævaricationis punietur ;  
cogemur insuper rationem reddere fru-  
ctuum, quos proferre debebat vinea Domi-  
ni, quam nos incultam reliquimus. Ah!  
quot talenta ; quanta socordia in ijs utili-  
ter locandis ; quot gratiæ, & quanta infi-  
delitas iis respondendi ! quot perfectionis  
media, & quanta negligentia ijs utendi ? &  
quot

quot




**Augustus.** quot causæ nobis meruendi, & erubescendi!

*Erubescere, dum vides, te tam longè abesse à Christiani perfectione; Statue diligentiam adhibere muneri tuo implendo; cum nomen ipsum, quod geris, ad sectandam sanctitatem te obliget.*

*Estote ergo perfecti; sicut Pater vester Cælestis perfectus est. Matth. 5. 48.*

*Perfectum esse nolle, delinquere est. Hieron. Epist. 1.*



## DIES XXVI.

### De Obligatione Christum imitandi.

#### I.

**D**EUS, cum hominem ad imaginem suam creavit, intimæ ejus substantiæ obligationem, & propensionem quandam naturalem indidit ad se imitandum, & actionibus vitæ suæ illam cum Deo similitudinem, quæ in creatione solum inchoata fuerat, perficiendam: Et verò perfectio, & felicitas creaturæ in similitudine cum suo Creatore consistunt: nihilominus, inquit S. Bernardus, tota hominis infelicitas, & peccatum inde sumpsere originem, quòd Deum quidem imitari, sed non eo, quòd oportet.



oportet, modo voluerit. Angelus, cum Augustus.  
imitari velle ejus Bonitatem deberet, Ma-  
jestatem ipsius imitari tentavit, unde De-  
us ejus superbiam castigaturus eum in In-  
ferorum abyssum præcipitavit. Homo ad-  
spirare voluit ad universalem boni, & ma-  
li scientiam, quæ non nisi solius Dei est:  
ut proin Deum eum puniret, eum ad igno-  
rantiam, & errorem condemnavit. Quid  
Verbum æternum fecit, inquit prædictus  
S. Pater? humanam carnem assumpsit, hu-  
militatem, & paupertatem amplectens  
eum in statum se demisit, in quo homo De-  
um non modò sine peccato, & periculo  
imitari; sed etiam (in quo tota ipsius per-  
fectio, & felicitas consistunt) ei similis fie-  
ri posset. Atque id fecit in Incarnatione.

II. Deus homo factus est, inquit S.  
Chrysostomus, ut homo fieret quodam-  
modò Deus per similitudinem: factus est  
nobis similis ad obligandos nos, ut sibi simi-  
les redderemur, humanam carnem sibi in-  
duit non eò duntaxat, ut Servator, sed in-  
super exemplar nostrum esset: vel  
potiùs Servator esse nequivit, quin  
exemplar nostrum foret: nam, ut  
Servator noster esset, non tantùm à poten-  
tia diaboli, pænisque sempiternis, sed e-  
N tiam



**Augustus.**

tiam è servitute peccati, & tyrannide cupiditatum nostrarum, avaritiæ, voluptatis corporeæ, iræ, superbiæ eripere nos debuit. Ex hisce verò eripere nos haud potuit, nisi alliceret nos ad exercendas virtutes hisce cupiditatibus contrarias, nempe paupertatem, mortificationem, mansuetudinem, & humilitatem; nec inspirare virtutum istarum amorem nobis potuit, sensui, & omnibus naturæ nostræ propensionibus adeò repugnantium, si earum nobis non præbuisset exempla: neque fuit præter ipsum, qui dicere potuerit: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Harum namque virtutum necessitas, praxis, aut certè perfectio penitus ignorabatur, priusquam Christus in mundum veniret; priusquam earum nobis præberet exemplum. Atque exemplum ipsius solum earum pretium, facilitatem, & praxin cognoscere nos docet: & proin omni nos excusatione, nisi eum imitemur, indignos reddit.

**Matth. 11.  
29.****Io. 10. 7.****Io. 14. v. 6****Ioan. 8.  
v. 12.**

III. Idcirco Christus nobis ait, se esse portam, per quam necessariò eundum, ut ad vitam perveniamus; se esse viam, quæ incedendum; se esse lumen, quod viam ostendat; se esse ducem, qui eò deducat; errare illum non posse, qui ipsum sequatur. **E contrario fieri non posse, ut quis non er-**

ict,



ret, si ipsum sequi detrectet : quicumque **Augustus.**  
 profiteatur, se ipsum sequi, statuere ne-  
 cessario debere, ipsum imitari. De qua **Joan. 12.**  
 vis vitæ suæ actione nobis dicit, quod in **26.**  
 pedum lotionem dixit: *Exemplum dedi vobis,*  
*ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos fa-*  
*ciatis.* Et sanè Christus nullam exercuit **Jo. 13. 15.**  
 actionem, quæ in sua, sui que Patris inten-  
 tione, non fuerit nobis exemplo. Ea  
 propter persuadere nobis debemus, Patrem  
 æternum cuius Christianorum dicere, **Exod. 25.**  
 quod Moyse olim dixit. *Inspice, & fac se-*  
*cundum exemplar: aspice filium meum, &*  
*conare ipsum imitari.* Servator tuus non  
 erit, nisi exemplar tuum sit, nec ipsum  
 sequeris in gloria, nisi sequaris in ejus vita.  
 Cum mihi Domine hoc præceptum injun-  
 xeris, da mihi vires id exequendi: quan-  
 doquidem etiam Filius tuus dixit: nemi-  
 nem ad se venturum, nisi tu illum traxe-  
 ris.

Cum Christus Servator tuus esse non possit  
 nisi Exemplar tuum sit; idcirco è zelo, quem  
 habere salutis tuæ debes, statuendum tibi, o-  
 mnibus viribus contendere, ut Christo te simi-  
 lem reddas.

Exemplum enim dedi vobis, ut que-  
 madmodum ego feci, ita, & vos faciatis.  
**Joan. 13. 15.**

N 2

Quid



**Augustus.**

Quid est intrare per januam? intrare per Christum. Quid est intrare per Christum? imitari vias Christi. *Aug. in Psal. 90.*

## DIES XXVII.

## De Collectione Animi.

## I.

**Luc. 17. 21.****Rom. 14. 17.**

**R**egnum Dei intra vos est, inquit Servator: necessarium non est id in locis longe remotis quærere. Et hoc Regnum, addit S. Paulus, est pax, & gaudium in Spiritu Sancto. Atque in hujus Regni possessionem nos perducit animi collectio: quia nos in nos ipsos descendere docet. Id, quod Regnum Dei efficit in cælo, est Dei præsentia, & felicitas, qua sancti ob ejus possessionem gaudent. Id, quod Regnum Dei efficit in terra, est Dei præsentia in nobis, & felicitas, qua gaudemus de eo contemplando, & quodammodò hinc eum possidendo. Animi collectio duo comprehendit, attentionem videlicet continuam, aut frequentem ad Deum, & attentionem aliquid, vel frequentem ad nosmetipsos. I. quidem attentionem ad Deum, ut eum semper nobis ob oculos ponamus, ejusque gloriam omnium actionum nostrarum finem



nem statuamus, semper Deum consula- Augustus.  
mus, ejusque actiones vitæ nostræ regu-  
lam præfigamus; nec ulla re, nisi solo Deo  
nitamur, atque ejus opem, & gratiam u-  
nicum confidentiæ nostræ fundamentum  
constituamus. 2a pars 2a Pars collectionis  
animi est attentio ad nos ipsos, ut observe-  
mus vias nostras, ut invigilemus millenis  
moribus, quos naturæ, & sensus nostri exci-  
tant; pluribus hominum respectibus, qui  
optimis nostris actionibus sese immiscent,  
in infinitis, quas advertere difficulter vale-  
mus, amoris proprii technis, iisque ferè  
continuis; ut moderemur nostram, nescio  
quam, agendi aviditatem, nostræque im-  
perus naturæ reprimamus: hæc est occupa-  
tio collectionis animi.

II. Hæc animi collectio utilis est, sed  
& difficilis: nam, cum omnes ad mentis  
evagationem proni simus, & non minùs ad  
ingenij, quàm animi nostri libertatem a-  
spiremus, quædam veluti captivitatæ spe-  
cies esse nobis videretur animi collectio; quæ,  
cum libertatem illam in nobismetipsis  
coërceat, animo facultatem adimit, totum  
terrarum orbem pervagandi, seque in o-  
mnis generis objecta effundendi. Aversio-  
nem, quæ collectionem animi fugimus,  
non parùm auget superbia nostra. Si cre-



**Augustus.** brò in nos ipsos descenderemus, incompofitorum affectuum imbecillitates, & miferias, conscientiamque varijs nugis implicitam facile perficeremus. At, cum hæc nostri ipsorum inspectio superbiæ nostræ non favere, sed potius eam comprimere videatur, mentis oculos à rebus tam ingratis avertimus. Hujc superbiæ nostræ se affociat ignavia: charitas, quam nobismet-ipsis debemus; zelus, quo in salutem nostram ferri tenemur, omnes vires hisce morum nostrorum corruptelis, quas in nobis adverteremus, coërcendis impendere nos juberet, si in nos ipsos descenderemus. Ut igitur labori ejisdem medendi parcamus, eas ignorare malimus.

III. Si animi collectio tam difficilis est, non minùs necessaria est ijs, qui ad perfectionem eniti seridò volunt. Humilitas fundamentum est perfectionis, & cognitio sui ipsius fundamentum est humilitatis: sed animi collectio certissimum est hujus cognitionis acquirendæ medium; cum ejus occupatio sit, identidem in seipsum intrare, ut nobis miferias nostras ob oculos ponat, & in assidua animi demissione contineat. Superbiâ non laboramus, nisi quòd nos ipsos non cognoscamus; neque nos ipsos non cognoscimus, nisi quòd nunquam in nos



nos ipsos descendamus, verè nobis peregrini. Si humilitas est perfectionis fundamentum, tunc puritas cordis via tutissima est, qua ad eandem pertingamus. Hanc autem cordis puritatem obtinere non possumus, nisi per mentis collectionem; quæ, cum vias nostras observare, cunctisque nostris motibus invigilare nos doceat, simul efficacissima est ad coërcendos eos, qui minus ordinati sunt, quique cordis nostri puritatem conspurcarent, qua inordinatos omnes, cordisque nostri puritatem contaminantes refrænemus. Denique unio cum Deo perfectionem nostram omnibus numeris reddit absolutam: eò verò perveniendi via brevissima juxtà, ac securissima est animi collectio, imò ea aliud non est, quàm ipsissima unio. Felix via, quæ nos ad tam beatum terminum perducit!

*Necessitas hujus collectionis inspirare tibi debet desiderium eam obtinendi; sed difficultas obligare te debet, ut magnis conatibus ad eam obtinendam contendas.*

Regnum Dei intra vos est. *Luc. 17. 21.*

Memento interdum, reddere te ipsum tibi. *Bern. de Confid.*



Augustus,



DIES XXVIII.

De Abusu Gratiarum.

I.

GRatiarum aliquæ magnæ sunt utilitatis, aliæ decretoriæ. Nihil merendum magis, quàm earum abusus. Crises non minùs inveniuntur in gratia, quàm natura; & proprietates unius aptè nobis exprimunt proprietates alterius. 1. Crisis naturæ est conatus, quo ipsa è malo sibi impendente se eximere contendit. Crisis in genere supernaturali conatus est gratiæ ad eripiendam animam è statu, in quo certum ei interitùs imminet periculum. Talis fuit ille, qui S. Augustinum, cuius hodie festam diem agimus, pravis opinionibus priùs addictum ad Catholicam Religionem revocavit. 2. Crisis naturalis dies habet determinatos, quibus attentos nos esse oportet. Sic Crisis supernaturalis habet sua tempora, certaque momenta, quæ, ne elabantur, nobis sedulò curandum; habet felices rerum concursus, quibus bene utendum. 3. Quemadmodum in natura nec penes ægrotos, nec penes medicos est iuxta libitum suum Crises procurare; sic gratiæ



riae criticae, seu gratiae efficaces, quae cau- Augustus.  
sa sunt emendationis morum, in potestate  
nostra non sunt; & si quis eas elabi sibi pas-  
sus est, ad ejus nutum non revertuntur.

Esau hanc emendationis gratiam petijt, &  
cum lacrymis petijt; sed eam non obtinuit.

Si Divus Augustinus voci, quam in horto  
intellexit, non auscultasset, nec gratiae,  
quae huic voci fuit associata, fideliter re-  
spondisset, forsan periisset.

*Non enim  
invenit pae-  
nitentia lo-  
cum, quam  
quam cum  
lacrymis in-  
quisisset  
eam. Hebr.  
126 17.*

II. 4. Quomodo Crises in natura  
sunt rarae, licet gratiae istae fortes, hae gratiae  
Criticae, seu efficaces conversionis adeo  
communes non sunt. Si sunt felices re-  
rum concursus, qui nascuntur e plurium  
circumstantiarum coagmentationibus saepe  
valde eximijs, concursuque plurium  
causarum, quae non facile conjunctae inve-  
niuntur, quasque Deus e singulari provi-  
dentia conjungit, homini ad meliorem  
frugem reducendo profuturas. Hi tot cau-  
sarum tam diversarum concursus, cum dif-  
ficiles sint, rari sint, necesse est. Quan-  
tae igitur imprudentiae est occasionibus  
tam praeclearis non uti? quantaque teme-  
ritatis, credere, eas pro libitu recuperari  
posse? 5. Crises naturae generantur e con-  
flictu terribili naturam inter, & malignos  
humores, quibus ea obruitur, & ab ijs li-  
bera-

tilia-  
eruen-  
Crisis  
quam  
nobis  
Crisis  
lo. sibi  
Crisis  
gratia  
no cer-  
Ta-  
hodie  
onibus  
ionem  
habet  
esse o-  
habet  
uae, ne  
habet  
ene u-  
ra nec  
st jux-  
c gra-  
tia





Augustus.

berari cupit. Inde motus illi, & insolita Symptomata oriuntur. Sic Crisis gratiæ conatus quidam est, quo anima è peccatis, & pravis affectibus, quorum ponderi jam-jam est succubitura, se eripere contendit: hinc motus illi inusitati, hinc illi conflictus pravorum affectuum cum ratione, naturæ cum gratia, ubi creaturis renuntiandum, quibus arctissimè fuimus addicti, & summo odio prosequendum, quod ardentissimè amavimus. Conflictus, quos S. Augustinus tam bene nobis describit, etiam ipse experrus fuerat; quia in ejus animo contigere. Quantam vitæ mutationem omnes isti violenti conatus non afferunt? felices sanè mutationes, quæ, cum penitus mutant hominem, Regnum Dei in ejus animo stabiliunt.

III. Ultima denique, & præcipua Criseos proprietas est, quòd homini vel longiorem vitam, vel mortem mox secuturam decernat. Si natura robore prævaleat, æger servatur; si verò nimium imbecillis est, malignorum abundantia humorum opprimitur; ut proin vitæ spes nulla superfit. Sic in Crisibus supernaturalibus, si gratia victrix est, si efficit, ut homo pravis suis affectibus, & perversis consuetudinibus evadat superior, quemadmodum Divo Au-

gu-



gustino in ejus conversione accidit ; tum Augustus.  
 homo beatus est , & magnis passibus ad  
 sanctitatem graditur. Verum si gratia  
 extremo conatu frustra adhibito debilior  
 tamen sit , atque inordinatis cedere cogatur  
 affectibus , dubitari vix potest , quin a-  
 ctum sit de homine. Felix , inquiebat Ser-  
 vator , *esses , civitas Ierosolyma , si cognovisses* Luc. 19.  
*tempus Visitationis , & si eo bene uti scivisses!*  
*At vae tibi ! quod non cognoveris , nec fructum in-*  
*de capere sciveris. Hoc enim omnium miseria-*  
*rum tuarum , atque ipsius etiam reprobrationis*  
*tuae origo erit. Heu mihi ! annon haec com-*  
*minatio , Domine , mihi intentatur , mihi ,*  
*qui accepi gratias tam frequentes , & tam*  
*fortes , iisque toties abusus sum ? & an-*  
*non ea mihi indicat , me a te desertum , &*  
*reprobatum iri. Timor , qui propterea mihi*  
*incessit , sufficientem mihi praebet ratio-*  
*nem , bene adhuc sperandi , preces meas ,*  
*quas facio , desideriumque , quo flagro vi-*  
*ram in melius commutandi , cum tu ea mi-*  
*hi inspiraris , a te non contemnenda.*

*Si quem motum ad bonam frugem te recipien-*  
*di sentis , non ei resistas , ne haec sit gratia criti-*  
*ca , & proin decretoria de tua salute obtinen-*  
*da , vel damnatione incurrenda.*

Si cognovisses & tu , & quidem in hac  
 die , quae ad pacem tibi : nunc autem ab-  
 scon-



Augustus.

scondita sunt ab oculis tuis; eò quòd non  
cognoveris tempus visitationis tuæ. *Luc. 9.*  
*v. 42. & 44.*

Te, Domine, nemo amittit, nisi, qui  
te dimittit. *Aug. Conf.*

## DIES XXIX.

De Compositione Voluntatis  
nostræ ad Divinam.

## I.

PERfectio nostra in eo versatur, ut volun-  
tatem Dei faciamus, eique nos sub-  
mittamus. Atque hæc est totius Regula  
sanctitatis. Tanta proinde nostra est san-  
ctitas, quanta est voluntatis nostræ cum  
hac Regula consensio. Christus Exem-  
plar nostrum est, nosque eatenus sancti,  
quatenus ei similes existimus, & eatenus  
ei similes sumus, quatenus divinæ sumus  
conformari voluntati: voluntas Patris æ-  
terni unica fuit ipsius Regula, & unicus  
omnium ipsius actionum finis. Imò alle-  
verat, se non venisse, ut propriam volun-  
tatem faceret quantumvis justissimam, sed  
voluntatem Patris sui. Perfectio, & san-  
ctitas nostra in charitate consistunt. *Cha-  
ritas est plenitudo legis.* Inquit Apostolus.  
Cha-

*Descendi de  
caelo non ut  
faciam vo-  
luntatem  
meam, sed  
voluntatem  
ejus, qui mi-  
sit me.*

*Jo. 6. 38.*

*Rom. 13. 10.  
Joan. 14. 21.*



Charitas verò perfecta in facienda Dei voluntate : qui servat mandata mea , & voluntatem meam facit , inquit Servator, ille est , qui verè diligit me. Aliquoties angeris animo , an Deum ames , & hæc justa est anxieratis causa. Si ad voluntatem Dei implendam , teque eidem submittendum semper paratus es , certum tibi esto , eum à te amari.

II. Felicitas nostra in eo consistit , ut voluntatem nostram divinæ accomodemus. Vitæ præsentis felicitas in pace ponitur. Verùm , sicuti pax haberi non potest , ubi voluntati divinæ resistitur : *quis enim resistit ei , & pacem habuit?* ita fieri non potest , ut is pace non gaudeat , qui divinæ Voluntati perfectè se subijcit. Praxis hujus virtutis facit , ut Paradisus cælestis inveniatur in terra , & omnes , qui illâ faciendâ sese exercent , beatos reddat. Quidnam cælestem Paradisum constituit ? quidnam sanctos Cæli incolas reddit felices ? id , quòd aliam præter Dei Voluntatem non habeant ; id , quòd in Deum transformati sint. Si Deus veller , ut Angelorum aliquis relicto Cæli Paradiso in terras descenderet , cum reo quodam in obscurum carcerem se inclusurus , in hoc carcere Paradisum , summamque felicitatem in exequen-

da

Job. 9. 4.



Augustus,

da Dei voluntate inveniret. Quid ageres, dicebatur sancto cujdam Viro voluntari divinæ summopere addicto; si hæc voluntas ad Inferorum Barathrum te condemnaret? quid agerem? respondit: Deum meum tam arctè amplexarer, ejus voluntari me uniendo, ut ipsum in inferos mecum detraherem; mallémque cum Deo in inferno esse, quàm sine Deo meo, contráque ejus voluntatem in Cælesti Paradiso: infernus mihi in Paradisum mutaretur. Quisnam animi istius sensus! éstne tua voluntas sic ad divinam conformata?

III. Consensio cum divina voluntate facit hominem felicem ipsius Dei felicitate. Quid reddit Deum infinite felicem? id, quod omnia agat, quæ vult; id, quod non velit, nisi bonum; id, quod in seipso inveniat omne bonum, quod vult. Homo voluntari divinæ perfectè consentiens his omnibus gaudet commodis. Is facit, quidquid vult, cum aliud non velit, quàm quod Deus; & quia voluntas Dei semper impletur; quocunque demum modo id fiat, etiam ipsius voluntas impletur semper. Non vult etiam nisi bonum; nam qui non vult, nisi quod Deus vult, non potest, nisi bonum, & quidem maximum bonum vel.

le,



le. Denique invenit in seipso omne bonum; *Augustus.*  
 nam, cum ejus consensus cum voluntate  
 divina ipsum arctissimè cum Deo uniat, ef-  
 ficat, ut Deum possideat. Et quid boni  
 deficere potest illum, qui Deum possidet?  
 Si cælum hoc pretio comparare nobis re-  
 culamus, promeremur infernum, qui ju-  
 sta est pæna ijs, qui propriæ voluntati ni-  
 mis adhærent. Quid est infernus? est  
 locus, ubi quis semper propriam sectari  
 voluntatem desiderat, & sectatur nun-  
 quam: ubi Dei voluntatem facere nun-  
 quam vult, & facit semper. Quantum tor-  
 mentum!

*Cum felix esse tantopere desideres, viam ini-  
 qua tutò, & facile te perducere ad hanc felicitate-  
 tem potest, nempe consensum cum voluntate di-  
 vina.*

Qui habet mandata mea, & servat ea,  
 beatus est, qui diligit me. *Io. 14. 21.*


Cesset voluntas propria, & infernus  
 non erit. *Bern.*



**DIES**



Augustus.



DIES XXX.

## De Amore Iesu Christi.

*Amare debemus Iesum Christum, quia ipse nos amat.*

I.

**A** Morem nec mereri, nec compensare aliter possumus, quàm amore. Christus nos amavit. Qui igitur fieri potest, ut ipsum non amemus? *diligamus Deum*, **1. Ioan. 4. 19.** inquit S. Joannes, *quoniam ipse prior dilexit nos*; sed quomodo nos dilexit? modus amandi, inquit S. Bernardus, est amare sine modo; hunc modum Christus observavit in amore, quo in nos ferebatur; annon sine modo nos amavit, dum magis nos amavit, quàm ipsimet nos amemus? & tamen quousque nostri ipsorum amor non progreditur? is magis nos amavit, quàm omnes Beati conjunctim Deum amant; cum amor eorum finitus, Christi verò amor infinitus sit; is nos magis amavit, quàm omnia sua bona, quàm gloriam, quàm vitam suam; cum eas nobis consecravit. **1o. 3. 16.** *Sic dilexit.* An non hoc est amare sine modo? si Christus tam amabilis

non



non foret, quàm est; si tanta pro nobis nec **Augustus.**  
egisset, nec passus esset; cum tamen nos amet, & supra modum nos amet, an imperare nobis possumus, ut ipsum non amemus? nos, qui amamus hominem quantumcunque vilem, imò & canem, ut primum is suum in nos amorem testatur? Christus sibi non persuadet, se nimium præstare, omnem suum amorem nobis impendendo, quantumvis infinitum; & nos cor nostrum tantopere limitatum dividemus? si non possum te, Servator mi, amare, quantum mereris, amabo te saltem, quantum possum; hic est unicus modus, quem observare cupio; cæteroqui te non amo, quantum debeo.

II. Iesus nos amavit, etsi in nobis non invenerit, quod eum ad nos amandos alliceret, sed è seipso, & propria sua bonitate deprompsit omnes nos amandi rationes. Nos amamus homines, quòd eos amore dignos judicemus: Iesus verò nos amando, dignos amore nos reddidit; etsi in nobis nihil invenerit, quod amare posset: vel enim nos intuitus est in nihilo naturæ: sed id, quod nondum existit, amore dignum non est; vel in nihilo gratiæ, videlicet in peccato originali, vel actuali, quod eramus irretiti; verum in hoc statu tan-

o tum



**Augustus.**

tum aberat, ut amore digni essemus; ut potius scopus odij, & horroris ipsi esse mereremur. Et nihilominus in hoc statu nos amavit, unaque amabiles reddidit; cum amoris ejus fuerit effectus, sanguine suo nos redimere, scelerum nostrorum veniam nobis obtinere, & gratiâ suâ justos nos reddere. Ah! mi Servator, tu amasti me tunc, cum nullam haberes me amandi causam; tunc, cum omnes rationes odio me prosequendi haberes: & ego non amarem te, qui causas te amandi habeo infinitas, te, inquam, qui tam amabilis es. Si posthac amoris mei scopus non es; mereor, nec abnuo, odij tui esse scopus. Quam horrenda, sed quam justa pœna!

III. IESUS nos amavit, non tantum nullo invento in nobis amoris incitamento; sed etiam sine ulla spe ullius commodi: nam, ah! Servator mi, quid commodi tibi accrescit, quod te amem? si te non amo, tota infelicitas in caput meum recidet. Ad te verò quod attinet, nec minus eris magnus; nec minus beatus; nam tibi mer ipsi sufficis. Et quidnam addere gloriæ, & felicitati tuæ potest amor vilis creaturæ, qualis ego sum? Cur, Servator mi, me amasti; cum nullum capere posses emolumentum ex eo, quod me amares? & ego non amem




te, ego, qui obstrictus sum ob omnium commodorum maximum te amare? si enim te non amo, quis sum, nisi reprobatus? at, potesne dicere, anima mea, te Iesum amare? & si è te percunctaretur, sicut è Petro, an ipsum ames, possesne æquè, ac ille, verè respondere, te ipsum amare? Et si hoc ei reponeres, an non modicus tuus ei displicendi metus, exiguum tuum ei placendi desiderium, exiguum tuum gloriæ ejus promovendæ studium, exiguus tuus ei serviendi fervor, ingratus pro ejus beneficijs animus, tua in ejus gratias infidelitas, exigua tua eum quærendi solertia, tuus axiomatum ejus contemptus, & exemplorum ipsius fuga, mendacij te arguerent?

*Imaginare tibi, Dominum nostrum id ipsum ex te quærere, quòd è S. Petro: amas me? & scrutare cor tuum, ita tamen, ut tibi non aduleris, quòd judices, an verè ei respondere possis, te ipsum amare.*


Nos ergo diligamus Deum, quoniam prior dilexit nos. 1. Io. 4, 19.

Si pigebat amare Deum, redamare non pigeat. Bern.





Augustus.



DIES XXXI.

## De Independentia Dei.

I.

DEUS penitus independens est; nec quidemquam invenitur, quod ab ipso non pendeat. Ipsius independentia est id, per quod a natura sua differt ab omnibus alijs. Id, quod in Regibus appellatur potentia suprema, seu omni subiectione soluta ratio, vera quaedam imbecillitas, & subiectio maxima est: tot enim hominibus subiecti sunt, quot hominibus ad sibi serviendum, seque defendendos ipsis opus est; eò magis proinde subditi appellandi, quam alij, quò majoribus subsidijs ad se tuendos indigent. Autem illis hæc adminicula, tum æquè, ac alij debiles concident. Hoc unicum ipsos inter, & alios discriminis est, quòd, quò sublimiores alijs sunt, eò lapsu graviore ruant. Verùm Deus perfectè independens est; nulla enim materia opus habet, ad opera sua pulcherrima procreanda; & ipsius solius est, è nihilo aliquid facere. Is non indiget creaturarum concursu, si naturæ spectemus ordinem. Hæc nihil sine ipso possunt, cum ipse omnia sine illis possit. In pro benignitate sua earum se propensionibus



bus accommodat; sed cum ipsi lubet, age-  
re contra earum inclinationem eas docet.  
Is utitur igne ad refrigerandos tres pueros  
in fornace Babylonica, & Israëlitis è flu-  
ctibus maris rubri aggeres facit. At non  
minùs independens est, quod attinet ad  
ordinem gratiæ: agit enim nulla penitus  
præcedente dispositione: quas enim dispo-  
sitiones invenit in piscatoribus, ut eos red-  
deret Apostolos? obstacula maxima ob-  
stacula ei non sunt. è Publicano facit E-  
vangelistam; è Persecutore vas Electionis,  
eadem facilitate, qua Joannem Baptistam  
facit Præcursores. Is nos contentos no-  
vit reddere paupertate, & calamitatibus  
exhilarare. Sola nostra salus est, quam  
nobis sine nobis comparare nequit; at sal-  
tem ingratis nostris, de interitu nostro  
gloriaripotest.

II. Quemadmodum Deus à nulla re  
pendet, sic omnia ab ipso pendent: *sine*  
*me nihil potestis facere.* Inquit Dominus.  
Quanta hæc, considerato naturæ statu, à  
Deo dependentia! Deus è nihili nos a-  
byssis extraxit, & quovis momento cavet,  
ne in illam relabamur; dum nos conser-  
vat, nos sustentat supra vastam hanc abyf-  
sum, è qua nos omnipotenti sua manu e-  
ripuit. Si manum suam subtrahit, mo-



**Augustus.** mento citius in eandem recidimus; nec minimum exercere motum valemus, nec minimam cogitationem, nisi ipse nobiscum agat, concipere. Non minor est dependentia nostra, quod attinet ad ordinem gratiæ. Gentium Doctor nostram in iustos adoptionem, appellat creationem: Et sanè Deus in justorum numerum nos cooptat, licet in nobis nullam causam, nec ullam dispositionem inveniatur. Non possumus exercere vel minimam actionem bonam, nec ullum bonum desiderium elicere sine gratia; quam mereri non possumus. Quid forent sanctissimi viri sine gratia? quidnam discriminis est inter hominem, qui sibi met relinquitur solus agit, & hominem cum Deo agentem? David vir sanctissimus est David cum Deo agens: sed David adulter, & homicida, est David solus. Salomon hominum sapientissimus, est Salomon cum Deo; Salomon idololatra est Salomon solus. Petrus contemnens Judæorum minas est Petrus nixus Deo; sed Petrus ad ancillæ vocem tremens, & magistrum suum negans est Petrus sibi soli relinquitur. Ah! Domine, ne relinquant me mihi met ipsi; nam si solum me relinquis, nihil possum, nisi peccare, & ad interitum meum properare.

III. Fe-

*Creatio in  
Christol. Epi.  
Ephes. 2. 10.*

*Non ex operibus; alioquin gratia non est gratia.*

*Rom. 11. 6.*



III. Felicitas, & gloria nostra versatur in subjectione, qua Deo subsumus: nihil est, quod hominis magis frangat arrogantiam, quam ab alio pendere: sed gloriosius nihil est, quam à Deo pendere. A Deo pendere, eique servire, regnare est, dependentia, qua Deo adhæremus, si id sponte nostra fiat, Deo nos affigit, & efficit, ut omnipotentiae divinae reddamur participes. Sic S. Paulus gloriatur, se omnia posse cum Deo, cui se perfectè affixerat, & submitterat. Nihil magis nos deprimat, & abjectos reddit, quam, si Deo submittere nos recusamus. Angelus, qui tam sublimis, & gloriosus erat, cum huic dependentiae subtrahere se voluit, in Inferorum abyssum præceps ruit, ut vel invitus à Deo æternum penderet, quia sponte ab eo pendere renuerat ejus se voluntati subijciendo; & ab eo pendeat subijciendo se supplicijs, quibus Deus rebellionem ejus puniet. Ad me quod attinet, Domine, omnem gloriam, & felicitatem meam in eo pono, quòd à te pendeam; ne patiaris, adeò me cæcum esse, ut vel ad momentum huic dependentiae subducere me velim.

*Statue omnem gloriam, & felicitatem tuam in eo collocare, ut continuò te Deo submittas,*

O 4

nec



Augustus, nec per ullum peccatum grave ei te subtrahere.


Omnia possum in eo, qui me confortat.  
Philipp. 4. 13.

Væ universo, cui obviam fortè offenderit cedere nescia rectitudo: nam fortitudo est. Bern. de Confid.



CON-





CONSIDERATIONES  
CHRISTIANÆ.

*pro singulis Anni diebus.*

S E P T E M B E R.

DIES I.

De Fervore in Cultu Divino.

I.



Majestas Domini, cui servi-  
mus, tanta est, ut ma-  
gnum sibi serviendi fervo-  
rem, jure à nobis exigat.  
Estote ferventes, inquit  
Apostolus; nam Domi-  
nus est, cui servitis. Quantiscun-  
que contendatis, inquit sapiens, Deo  
servire, eumque glorificare, minùs ta-  
men semper præstabit, quàm ipse merea-  
tur. Si magnitudo fervoris, quo Deo  
servire tenemur, metienda est juxta ma-  
jestatem Domini, cui servimus, quanto

*Glorifican-  
tes Domi-  
num, quan-  
tiscun-  
que  
potueritis.  
superuale-  
bit enim ad-  
huc.*

*Eccli. 43.*

32.

O 5

cum



September, cum fervore Deo serviendum? is enim magnus est in seipso, magnus nobiscum comparatus, magnus in sua natura, magnus in sua potentia, magnus in suis operibus, magnus in omnibus; atque excepto ipso, magnum nihil est.

Philip. 82.  
v. 19.

*Tu solus altissimus.* Quidquid magnum dicitur, non est magnum in se, sed nobis comparatum: *magna videntur*, inquit Seneca, *non quia magna sunt, sed quia nos parvis sumus.* At, si cum Deo componantur, minora videntur, quàm nihilum. Itaque par est, ut Deo cum fervore serviamus, non quidem illo, qui ejusdem Majestati, & meritis ex æquo respondeat; hoc enim fieri non potest, sed, qui viribus nostris conveniat. Verùm, cheu! quid nos possumus? si omnes vires nostras exhaurierimus, Domine, verè & cum nostra confusione dicere possumus, *nos servos inutiles esse.* Et quid de nobis fiet, si id non facimus?

Luc. 17. 10.

II. Magnitudo humana habet aliquid, quod plerorumque hominum oculos perstringit, & fascinat. Magnatibus avidè sese addicunt; honori sibi ducunt, quòd eis subsint, ardentè ipsis serviunt, nil tantopere metuunt, quàm ipsis displicere, nil adeò optant, quàm ipsis placere, eorum propensiones prævertere student; omnia



omnia eorum iussa promptè, & ad amissim September.

exequuntur, omnia eorum iudicia communi consensu approbant, & admirantur, atque ipsos etiam defectus prædicant, omnia sua bona, quietem, sanitatem, voluptates, honores, conscientiam, salutem ipsis consecrant. Et quid denique sunt hi Magnates in seipsis spectati? sæpè non nisi iniustitia, nisi impietate magni sunt, ac pro in omnium hominum postremi iudicandi.

Quid verò sunt cum Deo comparati? Vermes terræ, nihilum, paulò meliùs, quàm alij ornatum. Istitis tamen omnia faciunt, huic nihilo omnia consecrant, istis cum stupendo fervore famulantur, & pro Deo nihil agunt, nec minimum commodum, nec minimam voluptatem consecrare ei volunt, & cum extrema negligentia serviunt. Nemo, mi Deus, præter te magnus est; nemo præter te dignus, cui ardentè serviatur; & tamen præter te nemo ferè est, cui obsequia præstare negligamus. In quantum hoc tibi cedit probrum, quantumque nobis erubescendi causam præbet!

III. Magnitudo obligationum, quas grandis iste Princeps nobis injungit, ut sibi serviamus, & magnitudo promissionum, quas ei fecimus, nos etiam obstringunt ad majori fervore eidem servendum.



September. dum. Omnibus hisce obligationibus satisfacere sine fervore non possumus. *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.* Dicit *Matth. 5.* Dominus. *Perfecti estote, sicut Pater vester Cælestis,* inquit Christus: *amate Deum ex toto corde vestro:* quantæ obligationes? possumusne eas sine fervore implere, Christiani cum simus? mundo & nobis ipsis renuntiare, Christum sequi, crucem nostram post ipsum bajulare, vias rectas ambulare, continuam nobis vim inferre, oculum nostrum eruere, si is nobis offensionis est causa, id est, ab hominibus nobis charissimis & utilissimis nos separare, inimicos nostros diligere, injurias crudelissimas condõare, Deo omnia posthabere, & citius omnia bona, honorem, & vitam amittere, quàm Deum graviter offendere, obstricti sumus. Hæc omnia officia ad eò Christianum obligant, ut ijs eximi neutiquam possit. An ijs satisfacere sine fervore, & quidem sine magno fervore possumus? & qua ratione fervor iste cū tanta convenire potest ignavia, quanta est mea?

*Erubescere de tua socordia in cultu divino, memor Majestatis Domini, cui servis, & obligationum, quas tibi injunxit ad fervorem tuum excitandum.*

Spiti-



Spiritu ferventes, Domino Servientes, September.

Rom. 12. 11

Solus Deus in comparatione vilis. *Sal-*  
*vian.*

---

## DIES II.

### De Fide.

#### I.

**S**ine Fide nulla habetur virtus; cum fide  
habentur omnes. Hæc est earum o-  
rigo. Hæc earum est fundamentum, &  
vniversale ad eas exercendas Instrumen-  
tum. Istæ cum illa nascuntur, & emo-  
riuntur, crescunt, & decrescunt. Fides  
in humilitate nos continet, dum nos do-  
cet, quid Deus sit, & quid nos simus. Hæc  
spem nostram animat magnitudine bono-  
rum æternorum, quæ nobis proponit.  
Hæc charitatem nostram inflammat, cum  
Dei perfectiones, & beneficia nobis ob o-  
culos ponit, unaque ostendit, quantopere  
ei propterea devincti simus. Hæc fervo-  
rem nostrum excitat, dum nobis propo-  
nit Deum, cui servimus, & ingentium  
certitudinem præmiorum, quæ nobis pol-  
licetur; hæc patientiam nostram roborat,  
dum



September. dum nobis promittit, *momentaneum hoc, & leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operaturum in cælis.* Hæc denique profundam reverentiam, & insolitam in precibus nostris attentionem nobis inspirat, dum nobis sublimem idæam Magnitudinis, & Majestatis præbet illius, quem alloquimur. Ah! Domine, auge fidem meam, ut & virtutes meæ augeantur. Sed, pro! dolor! si vivam hanc fidem obtinere non possum, nisi per orationes meas; orare, ut decet, non possum, nisi hac fide jam præditus sim.

II. Quemadmodum virtutes per fidem nascuntur, & crescunt; sic etiam cum fide pereunt, & decrescunt. Si fidem perdo, omnes etiam simul virtutes perdo. Si fides mea decrescit, omnes simul virtutes meæ decrescunt. Si fides mea evadit imperfecta, tum etiam humilitas mea redditur imperfecta, spes mea vacillat, charitas languescit, fervor meus tepescit, patientia mea recedit, zelus meus defervescit, mortificationis studium debilitatur, attentio in precibus in mentis evagationes, & juges irreverentias degenerat; ut primùm fide deficio, dicere cum Propheta possum: *Ad nihilum redactus sum, & nescivi.* Non sum amplius, nisi cæcitas, nisi imbecillitas, nisi

*Psal. 72. 22.*

mi.



miseria, nisi peccatum. Ah! Domine, September,  
quidquid perdam, si fides mihi superest, a-  
nimum non despondeo. At si fidem per-  
do, perdita sunt omnia.

*Luca. 18 8.*

III. *Filius hominis veniens*, inquit Serva-  
tor, ad homines judicandos, *putasne, inve-*  
*niet fidem in terra?* Ah! non: idque propte-  
rea, quia nec virtus amplius in mundo e-  
rit, nec Deus eum porro tolerare, nec i-  
pse patientia amplius expectare poterit;  
& denique, quia venire ad eum judican-  
dum cogetur. Sed cur in eo virtus non e-  
rit amplius? propterea, inquit Christus,  
quia fides in eo amplius non erit: non in-  
venitur amplius Sanctus in terra, inquit  
Propheta, quia fides ex ea ejecta est, quia  
homines non credunt amplius veritates,  
quas fides ipsos docet. Modica fides, quæ  
inter Christianos invenitur, & modica il-  
la, quam in nobis ipsis experimur, an non  
causam nobis præbet formidandi, ne pro-  
pè absumus à magna illa, à tremenda illa  
die, qua homines judicabuntur non alia de  
causa, quàm, quòd fide caruerint, aut cer-  
tè vitam non egerint fidei suæ consenta-  
neam. Heu! Domine, ego credo; sed  
adauge, & anima fidem meam: da mihi  
fidem; sed non fidem mortuam, quæ ad  
aliud non sit apta, quàm ad me magis red-  
den-

*Defecit san-*  
*ctus, quo-*  
*niam divi-*  
*nute sunt*  
*Veritates à*  
*filij homi-*  
*num.*  
*Psal. 11. 2.*



September. dendum reum; quæ ad aliud non conducatur, quàm ad me condemnandum, & iustitiam tuam manifestandam: sed fidem vivam, charitate animatam, quæ efficiat, ut vitam agam veritatibus, quas ipsa me docet, consonam.

*Frequenter, vel potiùs assiduè, à Deo fidem pete, sed fidem vivam: si enim hanc habes, citò omnes habebis virtutes, omniaque bona opera exercebis.*

Iustus autem ex fide vivit. Rom. 1. 17.

Confiteris, te nôsse Deum, factis autem negas; non rectè, sed impiè linguam Christo, animam diabolo dedisti. Bern in Cant.

## DIES III.

Faciliùs est, Deo, quàm Mundo satisfacere.

## I.

*Voluisti, fecisti. Aug.*

**F**aciliùs nihil est, quàm Deo satisfacere, cum is non nisi bonam nostram voluntatem, & desideria spectet: quæ si sincera sunt, apud ipsum effectuum habent locum. Si bona fide quid præstare voluisti, licet id non potueris, tantundem est coram Deo,  
ac



ac si reapse præstitisses, ut S. Augustinus September.  
ait: exercere bonum aliquod opus velles,  
sed ab eo exercendo impeditis, Deus ni-  
hilominus ejus habet rationem; vivo dolo-  
re tactus ob peccata vitæ tuæ transactæ,  
congruam sceleribus tuis agere pœniten-  
tiam velles: sanitas tua, cùm id non per-  
mittat, id Deo, qui cor tuum intuetur,  
sufficit. E miseria pauperum dolorem  
capis; conditio, & negotia tua non admit-  
tunt, ut eorum egestati succurras; cùm i-  
gitur id faciendi voluntatem habeas, ejus  
quoque habebis meritum. Et sic ob pau-  
xillum voluntatis bonæ pœnitens esse po-  
tes sine austeritatibus, eleëmofynarum  
largitor sine divitijs, & aliquo modo fieri  
Martyr, quin moriari. Si tam vili pre-  
tio satisfacere Deo renuis, culpa penes te  
est.

II. Tam facilè satisfieri mundo non po-  
rest. Is enim non nisi successus, & effe-  
ctuum rationem habet. Optimæ quæque  
intentiones nec minimi obsequij tenent lo-  
cum; si quis magni momenti negotijs  
adhibitus intentiones optimas, & agendi  
rationem prudentissimam conceperit; i-  
psius verò consilia inveniantur disturbata,  
& negotium etiam illorum vitio, qui eum  
isti negotio adhibuerunt, è sententia non

P. suc-



**September.** successerit, velut imprudens, & infelix errorem potentioris se luere debet. Si quis exercitus Imperator fuerit prudens, magnanimus, generosus, & nec curis, nec sanguini, nec vitae propriae pepercerit, casu tamen quodam aduerso, & improvise ab hoste victus sit, sortis inclementiam luere necessario debet, dum vita, quam exposuit, sanguis, quem fudit, funesto compensatur odio. Haec est mundi consuetudo. Et his insuper habitis, mundo nos mancipamus.

III. Mundus, quantumcunque iniustus sit, obtentibus tamen non deficitur, quibus suam agendi rationem purget. Is nec animum, nec cogitationes nostras intratur; & proin obstrictum se non credit ad eas remunerandas. Praeterea obsequia nostra non exigit, nisi quia ipsis opus habet. Magnates mundi ij sunt, qui rerum omnium indigentissimi sunt: nec omnibus bonae nostrae intentiones eorum necessitatibus medentur, ac proin earum rationem habendam sibi non persuadent. Verum tu, Domine, qui mentis nostrae scrutaria intima, omnesque nostras intentiones perspectas habes, nullam earum mercedem vacuum abire sines. Tu obsequia nostra non experis, velut tibi necessaria, sed



desiderio, quo, ea remunerandi, flagras. *September.*

Quanta felicitas, Domino tam diviti, & liberali servire! & ei si non servio, hac felicitate privari, & servituti Domini duri non minùs, quàm ingrati, ut est mundus, tradi mereor. O inauditam pœnam, atque eò crudeliorem, quò minùs eam sentio.

*Agnosce felicitatem tuam, quòd additus sis obsequio Domini adeò benigni, nempe Dei. Cave tamen, ne ipsius benignitas negligentiae tibi potiùs, quàm fervoris præbeat ansam.*

Pax hominibus bonæ voluntatis. *Luc. 2. 14.*

Voluisti, fecisti. *Aug.*

---

#### DIES IV.

### Peccatum Mortale est Malum infinitum.

L

**M**agnitudinem peccati è dignitate personæ offensæ metimur. Non est crimen leve, cum eo offenditur Majestas Regum; eorum enim sublimitas omnia delicta, quæ in eam committuntur, reddit gravia. Annon peccatum, quod invadere audet Majestatem Dei infinitam, infinitum quid reputari debet? an non vilitas homi-

P 2

nis



September. nis infinita, & immensa distantia, qua à Deo remotus est, nominibus, quibus Deo obstringitur, juncta multum conferunt ad peccatum reddendum malam infinitum? Deus, cum justissimus sit, non censer, se peccatorem nimium punire, cum ab eo pœnas reposcit in objecto suo infinitas: quia privationem boni infiniti, & ad spatium temporis infinitum complectuntur, cum alios limites non habeat, quàm limites æternitatis. Deus eum condemnat ad pœnas sempiternas, quibus peccata sua expiet, & tamen ea nunquam delebit. Si debitum non foret infinitum, tum denique peccator supplicij suis satisfacere justitiæ divinæ posset; interea eas solvet semper, neque tamen exolvere unquam poterit.

II. Id, quod magis adhuc infinitatem peccati comprehendere nos docet, est, quod, si omnes creaturæ, quæ fuere, sunt, & unquam erunt, tam perfectæ forent, quàm Beatissima Virgo, & pluribus sæculorum millionibus omnia Sanctorum Martyrum tormenta perpeterentur, omnibus suis bonis, voluptatibus, honori, & vice etiam suæ renuntiarent, satisfacere tamen nec pro unico peccato mortifero possent: necessarium proinde fuit, ut ad expiandum peccatum, & offerendam Patri æter-

na



no reparationem offensæ æqualem Deus Septemb<sup>7</sup>  
fieret homo, & in Cruce mortem oppete-  
ret. Nemo fuit præter IESum Christum,  
Deum, & hominem, qui satisfacere pro  
peccato dignè posset. An non igitur pec-  
catum, quod sarciri non poterat, quàm sa-  
tisfactione infinita, malitiam in se com-  
prehendit infinitam? annon ad expiandum  
peccatum Deus in Cruce mortem oppete-  
tens meliùs nobis demonstrat, quàm omnes  
totius mundi rationes, quantum, quàmque  
grave malum sit peccatum? Ah! si id con-  
cepissem, an id tam facilè admissem?

III. Minimis malis, quæ nobis impen-  
dent, rantopere commovemur, ut nullam  
non præcautionem ad ea prævertenda ar-  
ripiamus, quæ igitur fit, ut adedò tranquilli  
simus, tamque parùm metuamus, & vix  
ullam præcautionem adhibeamus ad evi-  
tandum malum infinitum; nisi quia sum-  
mopere cæci sumus? & hic est funestus pec-  
cati partus: nam, eheu! si cæci non essemus,  
peccatum magis quàm omnia mundi ma-  
la, magis, quàm mortem, magis etiam,  
quàm inferorum tormenta formidaremus;  
infernus enim, cum non sit, nisi malum  
creaturæ, minus malum est peccato, quod  
est malum creatoris, id, quod maximum  
inferorum constituit malum, est peccatum.




September. Sancti, qui Deum cognoscunt, qui nôrunt, quid peccatum sit, animo hac super re non fluctuant, si alterutrum foret eligendum. Si viderem, inquit Divus Anselmus, ex una parte peccatum, & ex altera inferorum ignes, coactus alterutrum eligere, in infernum me conijcerem potius, quam in peccatum. Et nos infelices felicitati nobis quotidie ducimus, dum in peccatum, quod nos ad infernum perducit, præcipites ruimus. Annon igitur omni jure infernus nobis debetur, si peccatum amamus? malum infinitum dignè puniri nequit, nisi supplicio infinito.

*Malum infinitum mereretur odium infinitum; cum verò peccatum odio infinito prosequi non possis, tanto saltem illud prosequere, quanto potes, & statue omnem lapidem movere ad illud sugiendum.*

Miseros autem populos facit peccatum.

*Prov. 14. 34.*

Mallempurus à peccato gehennam intrare, quàm peccati sorde pollutus caelorum regna tenere. *Aug. Serm. 9.*



DIES



## DIES V.

## De Contritione.

## I.

**D**uo sunt Contritionis genera. Unum perfectum, quod propriè Contritio dicitur, estque animi dolor ob Deum à nobis offensum, idcirco, quòd sit infinitè bonus, & peccatum aversetur. Est hic dolor generosus, nec proprium spectat commodum. Alter, qui appellatur attritio, dolor est ob Deum à nobis offensum; quòd per peccatum odio, & vindictæ ipsius nos exposuerimus: estque dolor imperfectus, & proprio commodo non nihil addictus. Neuter horum è peccatore justum reddit, nec ad pœnitentiam sufficit, si summus non sit, id est, si non omnem alium dolorem superet: cùm enim Deus supremum bonum sit, peccatum, quod ei infinitè oppositum est, summum malum sit, necesse est; proinde summum de eo concipere dolorem debemus: cùm Deus sit supremum bonum, supra omnia eum amare debemus: Deum non amare super omnia; est ipsum non amare: cùm peccatum omnium malorum sit maximum, id super omnia odisse debe-



September. mus. Peccatum super omnia non odisse, est id non odisse. Ea ratione, quæ ad illud delendum, destruendumque, & quod consequens est, ad pœnitentiam ritè agendam sufficiat. An tali odio à peccato dis-fides? si ita res se haberet, pridem illud in animo tuo fuisset extinctum. Eheu! an non id etiamnum in eo locum habet?

II. Si summum odium in peccatum habes, tum id magis horrere debes, quàm omnia alia, eaque maxima mala; magis id metuere, quàm paupertatem, morbum, infamiam, & mortem ipsam. Si non acerbiorè, saltem sinceriorè dolore affici debes, quòd peccatum commiseris idque committendo Deum amiseris, quàm afficereris, si omnia bona amisisses, & omnis generis mala incurrisses. Sic animo comparatum esse oportet verè pœnitentem, propterea, quòd hæc dispositio ad delendum peccatum summè sit necessaria. Atque hæc inveniri quoque debet in attritione: falluntur proin ij, qui sibi persuadent, eam adeò facilem esse. An sic animo comparatum te esse sentis? an cum hac animi dispositione ad pœnitentiæ Sacramentum hætenus accessisti? an id affirmare aude-res? si hoc cum veritate non potes, qui pol-  
li-



liceri tibi audes pœnitentiam veram esse , September,  
cuj tam necessaria deest conditio?

III. Eheu ! modicus ille timor, & hor-  
ror , quo peccatum, vel periculum id com-  
mittendi averſaris , tranquillitas animi ,  
qua post peccatum admiſſum gaudes, incu-  
ria, vel ſtupor potiùs ad Dei tui jacturam ;  
modicum deſiderium, quod tantam jactu-  
ram ſarciendi prætefers , pauxillum illud  
fervoris amplectendi media, quæ ad hoc  
tibi prodeſſe poſſunt; exilis animus per-  
fringendi obſtacula, quæ te ab hoc impe-  
dire queunt ; omnia hæc fat, ſupérque de-  
monſtrant, te ab hoc ſummo peccati hor-  
rore longè abeſſe ; & proinde Deum non  
conſiderare, velut ſummum bonum tuum,  
neque peccatum, quod Deo infinite oppo-  
ſitum eſt, ejùsque tibi jacturam parit, ve-  
lut ſummum malum tuum. Si ita eſt ,  
potésne tibi blandiri, quòd habeas diſpo-  
ſitiones ad pœnitentiam neceſſarias? ſi ve-  
rò eas non habes, quid ſunt omnes tuæ pœ-  
nitentiæ, niſi vana, & inanis occupatio,  
& vera deceptio?

*Descende nonnihil in te metipſum, ut ſcruteris  
animum tuum, (neque tamen tibi adulare) qua-  
les ſint animi tui affectiones adverſus peccatum,  
cùm ad pœnitentiæ Sacramentum accedis, & an  
ſummum dolorem habeas.*



September. Dolor meus super dolorem: in me cor  
meum mærens. *Ierem. 8. 18.*

Pœnitentiam certam non facit, nisi o-  
dium peccati. *Aug.*

## DIES VI.

## De Morte Inopinata.

## I.

QUando mors ventura sit, ignoramus.  
Ideò Christus nos hortatur: *Vigilate,*  
*quia nescitis diem, neque horam.* Verum e-  
tiam ex ipsius testimonio scimus, eam tunc  
venturam, cum minimè arbitramur, *qua*  
*hora non putatis.* Itaque inopinus mortis  
adventus non minùs est certus, quàm in-  
certitudo diei mortis; cum hæc veritas non  
minùs, quàm altera nitatur Verbo Dei,  
qui fallere non potest. *Qua hora non puta-*  
*tis, inquit, Filius hominis veniet.* Veniet,  
ut fur, cujus finis est ex improvise oppri-  
mere, quia propositum suum non nisi frau-  
de ad optatum exitum perducere potest.  
Id nobis tam potenter ostendit in Parabola  
illa de Virginibus, è quibus quinque fatuæ  
ab inopinato sponsi adventu fuère occu-  
patæ. Nullam veritatem Servator tan-

*Matth. 25.*

11.

*Luc. 12.*

v. 40.



topere mentibus nostris, quàm istam imprimere studuit, probè gnarus, quanti ea ponderis esset. Eum textibus tam expressis, & toties iteratis nobis evidentem reddidit, eandem clarissimè comparationibus, similitudinibus, & exemplis proposuit. Poterátne plus præstare, ut nos ad vigilandum, nobisque semper attendendum impelleret?

II. Christus Dominus nos non terret, nisi ut tutos præstet. Non minatur, se nos de improvisò occupaturum, nisi ex desiderio, quod habet, præcavendi, ne ex improvisò opprimamur, utque nos doceat omnia tentare ed evitandum repentinum mortis adventum, cujus funestos exitus ipse prævidet, quos nos ipsi non satis comprehendimus. Is cæcitatem nostram perspicit, ejusque miseretur, & omnem movet lapidem, ut eam à nobis avertat. Væ nobis, si ad omnia hæc lumina oculos occludimus. Is videt languorem nostrum; idcirco omnibus hisce minis nos excitare cupit. An non torpor iste multùm de morte participat? si minæ adeò terribiles ab eo nos non absterrent, contestatur, se nos, cùm nihil minùs cogitabimus, oppresurum. Faciamus ei hanc oblectationem, nempe aliqua ratione eum decipiamus,

con-



September. continuò vigilando, rebúsque nostris semper prospiciendo: si enim præparationi ad mortem semper intenti sumus, mors venire non poterit, quin ad eam excipiendam inveniamur parati.

III. Adverte, Servatorem nobis non dicere: Præparate vos ad mortem, cùm ea in januis est. Sed: *estote parati.* Ut nobis significaret, tunc non ampliùs esse tempus ad mortem se parandi, cùm ea advenerit, sed jam paratos esse oportere. Certa quædam negotia sunt, quæ exigunt, ut prævertantur: tempus ampliùs non est ad ea se parandi; ubi quis ijs obruitur, tempus non est, cogitandi, quò arcu cujdam provideri possit de instructu bellico, & annona, ubi hostis obsidionem paravit; tempus non est cogitandi de præparatione ad grande iter maritimum, ubi vela jam sunt expansa. Eritne tempus de bonis operibus tibi providendi, cùm mors hostis instar implacabilis subito te obruet, & obsidebit, viresque tibi intercipient boni quid agendi. Eritne tempus cogitandi de faciendo apparatu ad iter tantum, quantum est iter à tempore ad æternitatem, eo ipso momento, quo hinc discedendum est, & quo pronuntiabitur terribilis illa sententia: *mories tu, & non vives.*

Luc. 12. 40.




vives. Intra momentum moriendum est. *September.*  
estne tunc tempus dicendi : *dispone domui*  
*tuae.* Omnia negotia tua compone? Ah! *Isa. 38. v. 1.*  
forsan nec cogitare hac de re coepisti; & jam  
migrandum est. Tota vita nimis longa  
non est, ad faciendum apparatus pro tan-  
to, tantique momenti itinere: & tu eum  
intra momentum facere cupis? quam ri-  
diculum consilium!

*Cum mors inopinata tanti momenti sit, statue*  
*vigilare, & quavis die vivere, quasi quavis sit*  
*futura vita tua ultima. Elige insuper singulis*  
*mensibus diem certam, qua te peculiariter ad*  
*mortem pares.*

Estote parati, quia qua hora non puta-  
tis, filius hominis veniet. *Luc. 12. v. 4.*


Laret ultimus dies, ut observentur o-  
mnes dies. *Aug. Homil. 13.*



DIES



September,



## DIES VII.

## De Judicio Extremo.

*De Sententia Condemnationis in reprobos.*

## I.

**T**Unc, inquit Servator, supremus Judex decretoriam illam condemnationis sententiam in reprobos pronuntiabit: *discedite à me maledicti.* Discedite à me, qui Deus vester sum, quemque sceleribus vestris coëgistis fieri hostem vestrum. *A me,* qui eram Servator vester, quemque coëgistis adversarium, & judicem vestrum. *A me,* qui debebam esse suprema vestra felicitas; jam verò extremè infelices vos redam; sponte vestrà avertere vos à me voluistis; *à me,* ut vos creaturæ addiceretis, vestram in ea delectationem quæsituri. Itaque vel inviti separabimini à me, ut vestrum in illis inveniatis supplicium. Non eritis posthac *populus meus; & ego non ero vester Deus.* Vel, si vobis ostendam, me etiamnum Deum vestrum esse, id non faciam, nisi vos puniendo, ut Deus. Ah! **Domine, animadvertere in me, quocunque**

*Osio. 1, 9.*

lu.



lubuerit, supplicio; haud invitus id feram, September.  
dummodò æternùm â te non separer. *Non  
permittas me separari â te.*

II. *Ite Maledicti* quantumcunque demum  
amati, honorati, adorati ab hominibus,  
sed maledicti â Deo. *Dilexistis maledictio-  
nem, & veniet vobis: & cum ea omnis ge-  
neris mala. Noluistis benedictionem, & e-  
longabitur â vobis, & cum ea omnia bona.*  
Non solum induetis maledictionem, sicut vesti- *Psal. 10. 13.*  
mentum; sed ea usque ad medullas ossium  
vestrorum, & usque ad intima animæ ve-  
stræ penetrabit. Maledicti eritis in ve-  
stris bonis, maledicti in vestro honore,  
maledicti in vestris voluptatibus, maledi-  
cti in vestro corpore, maledicti in anima  
vestra. *Ite maledicti.* Sed, quò ibunt,  
Domine, hi infelices, dum â te discedent?  
*in ignem.* Heu! Domine, quomodo po- *Isa. 33. 14.*  
terunt habitare cum igne devorante? quo-  
modo habitabunt cum ardoribus? habita-  
bunt nihilominus; & â divina providen-  
tia deserti in omnem æternitatem alios  
hujus desertionis effectus non sentient, nisi,  
quòd sollicitè conservandi sint, ut semper  
crudeliter torqueantur. Ah! Domine,  
quàm funesta sollicitudo, quàm crudelis  
providentia!

III. Ac



September. III. At quamdiu in hoc igne erunt? æternum, *in ignem æternum.* Quamdiu Deus erit Deus, hoc est, quamdiu Deus odio peccati tenebitur, & quamdiu miseri illi peccatum amabunt, & quemadmodum Deus nunquam cessabit esse Deus, neque averfari peccatum, nec ipsi peccatum amare, sic nunquam cessabunt torqueri, ardere, in rabiem agi. Ignis iste sempiternus vobis paratus non erat, sed dæmonibus. *Qui paratus est diabolo, & angelis ejus.* Vos esse locij rebellionis illorum voluistis, itaque & supplicij ipsorum eritis socij. Quantus hic erit miseris istis fulminis impactus? sed & quanta nobis formidinis causa? Hæc Verba: *Venite post me, & portate Crucem vestram,* nunc vobis aspera videntur: Verùm illa: *Ite maledicti in ignem æternum.* longè asperiora vobis olim videbuntur. De fugienda hujus sententiæ executione securos vos reddere non potestis, nisi amplectendo prædictam Christi invitationem. Sed unde hanc acceptem, nisi tuâ id gratiâ fiat? ah! quàm lubens te sequar, etiam Crucem portando, ne olim à te æternum separer.

*Cùm te retrahi senseris hisce Christi verbis: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me.* cogita.



te ijs obediendo evitaturum terribilem illam sententiam, quæ contra reprobos pronuntiabitur. September;

Tunc dicer his, qui à sinistris erunt; discedite à me maledicti in ignem æternum.

Matth. 25. 41.

Quem ultorem timetis, facite vobis debitorem. Ambros.

D I E S VIII.

De Nativitate Beatissimæ Virginis.

I.

DE Nativitate Principum vehementer lætamur; sed immeritò: hi enim, quemadmodum alij, nascuntur peccatores: & mox, æquè ac alij ad miseras condemnantur. Imò lacrymis suis, quas non minùs, quàm alij homines fundunt, lætitiã, qua eorum natalis honoratur dies, delectari videntur: at hæc infelicitas in Mariæ Nativitatem non cadit; cùm ea nobis gaudium, & ipsi gloriam afferat. Maria non nascitur, ut sit misera, cùm ex eo tempore non modò sancta, sed & creaturarum Sanctissima sit. Gloriosa dicta sunt de te ò Sancta Civitas Sionis. Hoc est, divina Maria. Fundamenta ejus in montibus Sanctis.

Psal. 86.  
v. 2.

Id



September. Id est, ut S. Gregorius explicat: tu gratiã

*Gratia, que  
alijs vertex  
fuit. Maria  
radix, ac  
fundamen-  
tum fuit.*

*Greg.*

*Et erit mons  
Domus Do-  
mini in ver-  
tice mon-  
tium. Isa 2.*

*v. 2.*

sublimiorem te invenis sub vitæ tuæ ini-  
tium, quàm sublimissimi Seraphini, quàm  
Sanctorum præcipui in apice sanctitatis,  
& gloriæ suæ. Hæc Virgo est ille mons,  
quem Propheta vidit in altissimorum mon-  
tium summitate positum. Quanto hoc  
tibi honori est, Virgo Sanctissima? sed &

quanta nobis solatijs, & confidentiæ causa?

II. Ad bonitatem, & sapientiam Verbi  
æterni spectabat, Matrem suam abundan-  
tiore instruere gratia, quàm gratia om-  
nium hominum Sanctissimorum in mor-  
tis ipsorum momento fuerit. Hanc ab il-  
lo tempore gratia plenam esse oportebat.  
Deus in gratiarum suarum distributione  
tribus regulis utitur. Prima est dignitas  
personarum, quibus illas impertit: æ-  
quum enim est, ut gratiam meriatur juxta  
mensuram dignitatis; id si non faceret,  
dono suo labem quodammodo aspergeret,  
illudque confusione cooperiret in ip-  
sum redundatura: cum igitur Mariæ di-  
gnitas omnium aliarum creaturarum di-  
gnitatem infinitè superaret, idcirco, quod  
Mater Dei esset futura, æquum erat, ut e-  
iusdem quoque gratia omnibus aliarum  
creaturarum gratijs superior existeret. Sed  
dies, eam in sua Nativitate, Dei Matrem

*nec-*



nec dum fuisse. Verum, an non jam tunc talis erat in consilijs divinis? an non talis erat in æterno divinæ providentiæ decreto, cui futurum nihil, sed omnia præsentia sunt? præterea, an non fundamentum metiri solet juxta altitudinem, & magnificentiam palatij, quòd quis extruere cupit, etsi id extructum nondum sit? an non dispositiones respondere debent excellentiæ, & formæ alicujus subjecti, etsi nondum illud informet? quanta igitur esse debet gratia Mariam ad excipiendum Deum præparatura? quanta etiam nostra esse debet, qui quotidie in Sanctissima Synaxi eundem Deum excipimus?

III. Altera regula, qua Deus utitur in distributione gratiarum, quas animabus sibi charioribus largitur, est amor, quo in eas fertur. Amare, est bonum velle: in Deo verò bonum velle, & facere idem est: si igitur Deus Beatissimam Virginem ab ejus Nativitate plus, quàm ullam unquam creaturam amavit, an non ab hoc momento amorem suum magis testatum fecit, maximum bonum, quod est gratia, abundantius eidem impertiendo? annon Verbum æternum ab eo momento Sanctissimam Virginem plus amavit, cùm eandem amavit, quippe quæ mater ipsius proxim

Q?

fu- e



**September.** futura, & majoribus longè obsequijs, quàm omnes aliæ creaturæ eum sibi devinctura esset. Ultima denique Regula mensuræ gratiæ, quam Deus creaturis suis confert, est officium, ad quod eas destinat. Si hanc regulam consulamus, magnitudinem gratiæ Mariæ ex ea cognoscitur, quousque illa nos non ducet? siquidem Pater æternus eam elegerat, ut esset quasi Reparatrix mundi perditæ, quam ipsa dignitatem aliqua ratione promerita fuit, ob consensum, quem præstitit ad mysterium Incarnationis, & crucis sacrificium, quod cum filio suo obrulit: imò S. Bernardus affirmat, Christum, ubi sanguine suo mundum redemit, totum pretium Mariæ manibus commississe. Ad quemnam igitur rutiùs accedere possumus, quàm ad ipsam, ad obtinendas gratias, quæ eiusdem fructus existunt?

*Mirare in-  
ventricem  
gratiæ, re-  
stauratri-  
cem omnium  
saeculorum.  
Bern.*

*Saluta Mariam veluti gratia plenam à Nativitate sua, eamque precare, ut modicum quid ex hac plenitudine tibi impertiat.*

*Multæ filiæ congregaverunt divitias; tu supergressa es univèrsas. Prov. 31. 29.*

*Redempturus genus humanum, univèrsam sum pretium contulit in Mariam. Bern.*

DIES







September. II. Portamus, inquit idem Apostolus, thesaurum pretiosissimum in vasis fictilibus, quæ facile franguntur. Thesaurus iste est anima nostra, sanè pretiosissimus, utpote ipsius Dei sanguine comparatus. Verùm, quantumvis pretiosus sit, in vase tamen admodùm fragili, corpore videlicet nostro, eum circumferimus. Si quis liquorem pretiosissimum, è quo vitæ suæ penderet conservatio, portaret in phiala vitrea, eaque admodùm fragili, videretque sibi ambulandum de nocte per vias asperas, & difficiles inter præcipitia, cum quanto metu, & præcautione non incederet, probè gnarus, plus non esse necessarium, quam vestigio falli, ut labatur, & omnia perdat? hæc est nativa expressio statûs, in quo vivimus: cum ergo in hoc statu simus, an non eodem modo timere, nobisque cavere debemus? an non securitas nostra hac in re vera temeritas est?

III. Salus nostra à Deo, & nobis penderet si è solo Deo penderet, in tuto foret, securusque nos credere possemus: sed, eheu! ea etiam à nobis penderet, nec esse in manibus deterioribus potest. Voluntas debilis, animus cæcus, cor corruptum, quæ vehementi in malum propensione, nec minore horrore boni laborant, me ad salutem

rem



tem consequendam non promovent, sed <sup>Septembet.</sup> ab eadem magnopere impediunt. Ita tamen nos comparati sumus. Ah! Domine, inquebat Sanctus quidam vir, ne fidas mihi; ego me probè novi; certò enim te proderem: ne relinquant me mihimetipsi; habeo enim timendi causam, ne me ipsum in interitum præcipitem. Nemo aded mihi formidandus est, ut ego ipse. Libera igitur me Domine, à meipso, nec trade me desiderijs cordis mei, & immoderatis meis propensionibus.

*Cum in salutis negotio nihil tantopere metuendum sit, quàm nihil metuere; semper metue; hoc est enim medium illam in tuto collocandi: sed metus iste talis sit, qui te humilem reddat, nec tamen turbet, qui præcautionem tuam excitet; sed non confidentiam tibi adimat.*


Cum metu, & tremore salutem vestram operamini. *Philipp. 2. 12.*

Timor est fundamentum salutis; timendo cavebimus, cavendo salvi erimus. *Tertull.*





September,



## DIES X.

## Morum Emendatio non differenda.

## I.

**C**UR vitæ tuæ emendationem in aliud tempus differs? éstne tibi certum, id tibi concessum iri? tempus præteritum non ampliùs tuum est; futurum forsan tuum nunquam erit; nec quisquam extra Deum hoc tibi polliceri potest: an verò is tibi hoc spondit? annon contrarium tibi minitatur? nullum igitur, nisi tempus præsens, tuum est. Hoc unicum est, quo ad bonam frugem certò redire potes. Cur igitur eo hunc in finem non uteris? brevissimum est, citòque transit: cur id utiliter nõ impendis? vix cogitas id adesse; & jam prætervolavit, & cum eo fortassis unicum sperandæ misericordiæ divinæ fundamentum, unica salutis tuæ spes. Paulò pòst, inquis, ad meliorem frugem me recipiam. Et cur non modò? quamdiu dices cum S. Augustino gratiam repellente: *adhuc modicum tempus, adhuc modicum tempus; & hoc modicum tempus nunquam finiebatur: brevì, brevì, & hoc brevì non veniebat.* Cur

non

*Modò, modò,  
& illud mo-  
do non ha-  
beas modū.  
Aug. l.  
Conf. 8.*



non potiùs dicis cum eodem Augustino, September.  
ubi gratiæ se dedere statuit: *quamdiu cras,*  
& *cras? quare non modò, quare non hac hora* *ibid.*  
*fnis turpitudinis meæ?*

II. Cur vitæ tuæ emendationem dif-  
fers? ut meliorem vitæ rationem auspice-  
ris, opus est gratia. Ea te nunc ad id præ-  
standum urget; cur ei morem non geris? *?*  
hæc tibi se nunc offert; cur eam repellis? *?*  
millies indignè à te rejecta annon denique  
à te recedet? an non contemptus & abu-  
sus, quem in eam exerces, eâ indignum te,  
reddet? quò diutiùs vitæ in melius com-  
mutationem procrastinas, eò magis pec-  
cata tua augebis: & quò magis hæc auge-  
bis, eò longiùs à Deo te removebis: quò  
magis ipsius in te affectum frigefacis, eò  
magis eum irritabis. Et quas gratias ex-  
pectare potes à Deo frigefacto, & adversus  
te irritato? Cùm tanto tempore in pecca-  
to vixeris, necessaria tibi est gratia quæ-  
dam extraordinaria, gratia fortis, ejus o-  
pe à vitæ pravitate delistas. Hæc gratia  
extraordinaria est effectus bonitatis ex-  
traordinariæ: potesne eam prudenter spe-  
rare à Deo, quem toties contempsisti, tam  
indignè offendisti? & quo tandem funda-  
mento spes emendationis tuæ in posterum  
nititur? aliam certè spem non habes, nisi

Q 5

spem,



September, spem, quæ cæca quadam nititur temeritate.

III. Cur vitæ tuæ emendationem differ? ut quis improba peccandi consuetudine rejecta virtutem amplectatur, habere debet sinceram, & efficacem id agendi voluntatem. Quod magis tergiverſaris ad bonam frugem te recipere, eò minus id voles; quod diutiùs emendationem procrastinas, eò magis peccata tua cumulabis, eò violentiores evadent animi tui motiones, & robustiores pravæ tuæ consuetudines; eò magis ratio tua debilitabitur, voluntas pervertetur, & mens excæcabitur. An hæc omnia facilem tibi morum emendationem reddent? an non potius insuperabilia ponent obstacula? è peccato eripere te non vales, dum filo adhuc ei alligatus es, qui tunc id poteris, ubi rudente eidem fueris alligatus? imperare tibi non potes, ut è cæno te proripias, in quo genui tenus hæres; & hoc poteris, ubi collo tenui eidem fueris immerſus? an non igitur vides, te vitæ tuæ correctionem differendo, evidenti te periculo exponere, nunquam te emendandi, sed in peccandi contumacia moriendi? quanta hæc miseria! & cur ab hoc momento eam prævertere non statuis?

Cum



Cum tempus futurum spondere tibi non possis, September, decerne ab hoc temporis puncto vitæ in melius commutandæ studere.

Converte me, & convertar, quia tu Dominus Deus meus. *Ierem 31. v. 18.*

Ubi mihi legis, te indulgentiam accepturum, si te correxeris; lege ibi mihi quantum victurus es. *Aug. Serm. 16.*

---

## DIES XI.

### De Judiciio Temerario.

#### I.

**N**olite iudicare, ut non iudicemini. Inquit Servator; in quo enim iudicio iudicaveritis, iudicabimini. *Matth. 7. 1.* Solius Dei est iudicare de omnibus hominum intentionibus. Hoc jus summo Dei Imperio aded proprium est, ut nulli alteri tribui possit. Cor hominis Sanctuarium quoddam est, ad quod soli Deo pater aditus. Is solus ejus motus cognoscere, solus de ejus intentionibus iudicium ferre potest. In Dei jurisdictionem involare, est supremam ejus potestatem violare. Præter Deum nemo est, qui abstrusissimas conscientiæ nostræ latebras penetret; quæ inibi tractantur, ad solius Dei tribunal spectant; neque eorum quid-



September. quidquam hominibus patet. Verum est, eum in terra pœnitentiæ tribunal crexisse, ubi homines judicandi potestatem, verum solummodò ut vicarijs suis, concedit; & hi sententiàm ferre non possunt, nisi ex ipsius rei testimonio: is innocens habetur, quamdiu se reum non faretur. Denique ipsi non judicant velut supremi iudices; sed ab eorum sententia ad tribunal ipsius Dei conceditur provocatio. Heu! Domine, cur ego, qui tantam formidandi causam habeo, alios judicare auderem; cùm tamen eos judicando omni iudiciorum tuorum severitati me exponam?

II. Is, qui temerè judicat, non Deo soli, sed & proximo suo injuriam facit: quid enim ipse juris illum judicandi habet? quis id ej concessit? præter Deum id habere nemo potest; qui id omnino prohibet: *Nolite judicare. Tu, quis es, inquit Apostolus, qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit. Nolite ante tempus judicare, quoad usque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Hypocrita, quid vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Ad defectus vel modicos, vel imaginarios proximi tui attentum te præstas, & perspicacem, cùm cæcutias in tuis, rea-*  
pse

Rom 14.

v. 4.

1. Cor. 4.

v. 5.

Marsh. 7. 3



ipse existentibus, & insuper gravibus. In<sup>September.</sup>  
 quo judicas alterum, teipsum condemnas. In-  
 quit Apostolus. Quia majoris reus es cul-<sup>Rom. 2. 1.</sup>  
 pæ, dum alienos defectus judicas, quàm  
 is ipse, quem condemnas. Proximus tuus  
 jure bonus æstimari à te exigit, quamdiu  
 facinus manifestè malum non perpetravit;  
 atque ita judicium tuum temerarium, &  
 contemptus, qui illud sequitur, manifesta  
 est injustitia. Peccati te reum esse crede-  
 res, si tua obrectatione factum fuisset, ut  
 frater tuus apud alios bona existimatione  
 excidisset: èsne innocens, si is ob temera-  
 rium tuum judicium eandem apud te per-  
 dat; à quo non minore jure, quàm ab alijs  
 bonus esse censendus est.

III. Injuriam tibi metipso infers, cum  
 alios temerè judicas. Nam, cum etiam  
 tu noxis vacuus non sis, divina tibi mise-  
 ricordia opus est. Si Dominus summo  
 jure tecum agat, quid te fiet? in quo enim<sup>Matth. 7.</sup>  
 judicio judicaveritis, judicabimini. Is tibi<sup>v. 2.</sup>  
 minatur, simulque asseverat, præsentissi-  
 mum medium, divini judicij rigorem evi-  
 tandi esse, fratrem suum non judicare: no-<sup>Luc. 6. 37.</sup>  
 lite judicare, & non judicabimini. Deus bo-  
 ne, quàm felix inde fors obtingit homini,  
 qui tantam judiciorum tua metuendi causam  
 habet, quantam ego! Sors mea in manibus  
 meis.



September. *meis est.* Tranquillitas, cum qua nonnemo anachoretarum, licet parum fervens, moriebatur, cum superiorem ipsius attonitum redderet, ab eo reprehensus fuit: *cuj* Anachoreta: tranquillitas mea inquit, verbo Christi nititur. An non firmum habet fundamentum? ego nunquam judicavi, nec condemnavi quemquam, & Christus nobis pollicetur, *nos non judicatum, nec condemnatum iri, nisi alios judicemus, & condemnemus.* Poterisne hoc ipsum in hora mortis dicere? felicem te; si ita res habet! quantam enim pacis, & confidentiæ tunc habebis causam? Væ tibi, si secus se res habet: quantum namque timoris tunc non incutient Christi minæ?

*Examina te, quàm pronus sis ad alios temerè judicandos, eorumque intentiones in malam partem interpretandas, hic est effectus maligni tui animi, & ingens timendi, teque deprimendi causa.*

Nolite judicare; & non judicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini. *Luc. 6. 37.*

Tu quis es, qui tam improbè judicas servum alienum? redi ad te, discute te, *judica te. Laur. Justin.*

DIES.



## DIES XII.

## De Pernicioso Exemplo.

## I.

**P**erniciosum exemplum plures animas  
 in Infernum præcipitavit, quàm Apo-  
 stolorum zelus, & Concionatorum elo-  
 quentia cælo asseruerit. Homo pravi e-  
 xempli Prædicator, & Apostolus est dia-  
 boli, qui juxta mentem Prophetarum *in Psal. l. v. 12*  
*Cathedra Pestilentie sedet.* Si quis Christia-  
 norum Christum profiteri veretur, ignavia  
 esse creditur. Si verò in Christum insur-  
 git, si diabolo se addictum esse profiteretur,  
 si malitiæ ipsius instrumentum se reddit,  
 ut cum ipso ad perdendas animas pretiosis-  
 simo Servatoris sanguine redemptas con-  
 spirat, hoc sanè horrendum quid videtur.  
 Id autem facit homo, qui malo exemplo  
 alios offendit. Annon hoc facere, est a-  
 bominationem in loco sancto ponere? an-  
 non hoc, non tantùm est Apostatæ, sed e-  
 tiam persecutoris Christi personam indue-  
 re? an non hoc est Antichristi munus obi-  
 re? & hæc est perversitas prorsus horren-  
 da, quòd homines, qui se Christianos pro-  
 fitentur, quibus tam præclaro nomine glo-  
 ria.

ria.



September. rari concessum est, eò usque progredi non erubescant?

II. Auderétne quis asserere, hominem pravi exempli plus habere virium, animas ad pœnas æternas præcipitandi, quàm Christus habuerit ad eas æternùm beatas reddendas, plurésque homines pravo exemplo fuisse damnatos, quàm per mortem, per sanguinem, per merita Christi, per Sacramenta, per ejusdem merita, quæ nobis applicantur, salutem æternam fuerint consecuti. Quemadmodum Christus sua habet Sacramenta, quæ gratiarum ipsius fontes, salutisquæ nostræ sunt instrumenta, sic etiam dæmon, inquit S. Augustinus, Sacramenta sua habet, quæ peccatorum hominum sunt fontes, & damnationis ipsorum Instrumenta. Exempla mala, imagines lascivæ, libri periculosi, sermones parùm honesti, cantiones obscenæ, spectacula periculosa, quibus spectatis scelera addiscuntur, & ut plurimum delectatio excitatur, cum non sine ornatu videantur. Impia hominum vitæ licentioris colloquia, immodestæ puellarum, & mulierum mundanarum nuditates, & ornamenta, earundem agendi ratio, vel nimis libera, vel nimis affectata; exempla hominis dignitate quadam, & auctoritate

con-



conspicui, diaboli quodammodo Sacramenta sunt non raro potentiora ad animas æternum perdendas ob animi nostri debilitatem, quàm Sacramenta Christi ad nos æterna felicitate beandos. Ah! annon sæpiùs pravis meis exemplis perverfus derestandorum hujusmodi Sacramentorum minister extiti?

III. Malum est actionem exercere indifferentem, licet ea non malo fine fiat, si per eam anima quædam imbecilla offenditur. Carnibus vesci possum, inquit Apostolus. Nihilominus, *si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo in æternum;* ne ipsius imbecillitas pravo hoc exemplo offendatur, quòd sciam Christum pro ipso mortuum fuisse. Quid igitur erit actionem exercere malam, eamque eo fine facere, ut proximus tuus ad malum alliciatur? malum inimico suo creare, eumque non amare, scelus est: quid igitur erit perniciem machinari insoni fratri tuo? amico tuo? si damnationis ipsius es causa, tunc ipse quoque tuæ erit causa; si in infernum eum præcipitas, ipse te secum trahet; si instrumentum fuisti perditionis, & infelicitatis ipsius, certissimè socius ejusdem eris. Crudelior ipsius fuisti homicida, quàm, si vitam corporis eidem ademisses; Verum

1 Cor. 8. 13.

R. cum



September.

cum vitam ei æternam eripueris, ipse in inferno tortor tuus æternum erit. Vellène Christus salutem æternam illi impertire, qui fratrem suum ad inferorum barathrum detrussisset? possène hoc facere? an non infelix iste apud Deum conquerendi causam haberet? quid, Domine, diceret, homo iste peruersus ad inferorum flammam me detrussit, & tu eum ad cælestem Paradisum evehis? is inutilem mihi reddidit virtutem mortis tuæ; & ipse ejusdem fructum reportat? si justus es erga me, an non æquo indulgentior es in ipsum? mereturne homo ille misericordiæ tuæ effectus, qui te vel invitum impedit, quò minùs eam mihi exhiberes? annon hæc querelæ atrocissimæ sunt exprobrationes, tibi que justæ formidandæ causæ; si pravo exemplo proximum offendas?

*Statue exemplis bonis sarcire mala, quæ præbuiisti; & præcipuè, si quem ad peccatum induxisti, omnibus viribus contendere, ut illum ex eo retrahas.*

Peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. *1. Cor. 8. 12.*

Et nunc, quod gravius est, ipsi Christum persequuntur, qui ab eo utique Christiani dicuntur. *Bern.*

DIES



DIES XIII.

Quanti momenti sit, statum  
ingredi, ad quem à Deo Vo-  
cati sumus.

I.

**N**ihil est majoris ponderis, nihilque ju-  
stius, quàm statum amplecti juxta  
Vocationem divinam, & vitæ genus eli-  
gere, ad quod Providentia divina nos de-  
stinavit. Univerfus terrarum orbis est, ut  
ita dicam, Domus Dei; cujus familiam om-  
nes homines componunt: hi in ea de-  
gunt, velut illius subditi, & filij. Ad Pa-  
trem spectat, & Dominum cujus sta-  
tionem suam assignare. Deus Pater est,  
Deus Magister est infinite sapiens; scit pro-  
inde, quid cujus conveniat; sed & non  
minùs bonus, quàm sapiens est; itaque ad  
statum nobis convenientem certò nos vo-  
cabit, si ipsius directioni nos committa-  
mus: quod tamen potissima hominum pars  
non facit; sed à casu, cupiditate, animi le-  
vitate, spiritu proprii commodi, vel am-  
bitionis allecti, axiomatis non sat proba-  
tis ducti alicuj statui se mancipant. Fie-

R 2

ii



September. rine tum potest, ut non aberrant, dum malis adeò ducibus sese credunt? sed, pro dolor! errare ferè non possunt, quin in præcipitium ruant. Si nihil est facilius, quàm in id delabi, difficilius nihil est, quàm ex eo emergere.

II. Effectus hujus aberrationis funesti sunt. Ubi enim quis aberravit, nullum amplius gressum movet, qui eum à termino non abducat. Ex eo tempore, quo quis non est in statu, quem ei divina Providentia assignavit, nihil ei è sententia succedit. Deus nos facultatibus, & animi dotibus statui vitæ, ad quem nos vocârat, accommodatis instruxit: hunc si fuisset ingressi, fieri non potuisset, ut cum hisce dispositionibus non omnia bene agerentur: sed, cum nos aliam viam ingressi, muneris nos implicuerimus, cui Deus nos veluti minùs aptos non destinabat mirumne est, si id malè administremus, & optato frustremur successu? dein, annon consiliorum successus, vitæque nostræ felicitas à Deo, ejusque benedictione pender? nisi

*Psal. 1. 26.* *Dominus edificaverit domum, inquit Propheta, in vanum laboraverunt qui edificant eam.* Miramur, virum illum tanto ingenio, tantisque naturæ dotibus præditum, tantis meritis instructum rem tam infeliciter gerere,



rere, consilia ejus disturbari, fortunam e-  
verti. Habebat, ut videtur, omnia, quæ  
ad felicem rei exitum erant necessaria; ni-  
hil ei deerat, nisi Benedictio Domini: &  
hæc una fecit, ut omnia eum deficerent.  
At qua de causa Deus ei non benedixit?  
hæc est, quod Deo non consulto, non vo-  
carus, huic statui, huic muneri se addixe-  
rit. Os aliquod, quod extra locum suum  
est, multum doloris sentit, totique affert  
corpori: sic homo, qui in loco à divina Pro-  
videntia sibi destinato non est, non nisi  
conscientiæ angores, molestias, & indi-  
gnationes experitur; multum patitur, &  
magnam alijs patiendi materiam affert.  
An non hoc inde oritur, quod tam paucos  
homines conditione sua contentos videa-  
mus? an non hæc est omnium anxietat-  
um tuarum origo?

III. Verum, quanti momenti sit, sta-  
tum aliquem, Deo vocante, amplecti, ex  
eo patet, quod dici possit, salutem no-  
stram ex eo pendere. Gratia Vocationis  
est gratia magni ponderis, gratia decisiva,  
gratia vniuersalis, quæ infinitas alias in se  
comprehendit, si Vocationem negligas,  
omnes hæ gratiæ tibi deerunt. Si iste ho-  
mo, qui tam sanctè vivit in quadam Reli-  
gione, in sæculo mansisset, forsitan scelera-



September.

tus fuisset. Quàm multas ipsius status gratias saltem protectionis, & directionis complectitur? quot media salutis suppeditat? à quàm multis eum periculis removeret? an non hæ gratiæ huic statui erant affixæ; quem si ingressus non fuisset, habuissetne illas? alius ex adverso ab ordine Providentiæ divinæ aberravit, nec Religionem, quò Deus ipsum vocârat, ingressus est. Idcirco excidit ordine Providentiæ huius peculiaris, hac Bonitate extraordinaria, quæ ei gratias fortes, gratias extraordinarias destinabat; quarum ope salutem, & tutò & facillè fuisset consecutus; & incidit in ordinem cuiuspiam Providentiæ generalis, Providentiæ communis, quæ ipsi gratias communes, gratias ordinarias impertitur; quibus etsi salutem obtinere possit, vix tamen, ac ne vix quidem eam consequetur.

*Si stabili vitæ generi nondum te addixisti, statue te ei non addicere, nisi à Deo vocatus es fueris. Si verò eum non vocatus iniisti, time, demissè te gere, & conare errorem fidelitate, & fervore tuo supplere.*

Væ filij desertores, ut faceretis consilium, & non ex me! ut ordiremini telam, sed non secundum spiritum meum. *Isa. 30. v. 1.*

Si-



Sicut non habuit præmij meritum, ut September  
vocaretur, sic inchoat meritum supplicij,  
cùm vocatus venire neglexit. *Aug.*

DIES XIV.

De Modo Cognoscendi di-  
vinam ad statum certum  
vocationem.

I.

Nihil est Majoris momenti, quàm sta-  
tum aliquem amplecti, ad quem à  
Deo vocamur; nihil magis necessarium  
juxtà, ac difficile, quàm id cognoscere. A-  
mor nostri ipsorum, cupiditates, affectus  
immoderatus, quo in voluptates, & ho-  
nores ferimur, reverentia, & obsequendi  
studium, quo amicos nostros prosequimur,  
amor, interior grati animi sensus, & obe-  
dientia, quam consanguineis nostris debe-  
mus, præjudicia mundi, decentiæ condi-  
tioni, & natalibus nostris affixæ, liberta-  
tis amor, natura denique ipsa, & ratio; sed  
natura corrupta, ratio perversa, con-  
spirare videntur ad obducendum oculis nostris ve-  
lum, ut percipere non posse nobis videa-  
mur omnia hæc lumina, quibus Deus nos  
illustrat, ad monstrandam nobis suam de-



September certo vitæ statu eligendo voluntatem. Sed qua ratione, Domine, hoc velum penetra- bis; cum illi ipsi, qui per id excæcantur, cæcitatem suam ament, & lumen horreant, veriti, ne id eis voluntatem tuam aperiat, quam ipsi sequi recusant?

II. Ad cognoscendam Dei super statu nostro voluntatem, necessarium est, ut nos ipsos, Deum, & illos, qui nobis loco Dei sunt, consulamus. Consulere in primis nos ipsos debemus, & proprium nostrum animum, sed non animum istum corruptum, & imbecillum; sed animum qui rationi obsecundet, animum imbecillitatibus, & in compositis suis affectibus liberum, animum sincero Dei voluntatem cognoscendi, eamque sequendi desiderio flagrantem, animū attentū, & docilem ad vocem Dei, qui nobis hac super re semper loquitur, si eum audire velimus. Nam Deus præcipue est ille, quem ad cognoscendam eius voluntatem, consulere nos oportet: quis enim melius illam nobis aperire, quam ipse potest, si velit? Et cur non vellet? si enim nos obligat ad sibi obsequendum, semetipsum etiam obligat ad voluntatem nobis suam aperiendam, qui enim ad sequendam Dei voluntatem adstringi possem, si lumen eam intelligendi mihi negaret? id sanè mihi



hi impertiri obstrictus est : sed vult simul , September.  
ut illud à se petam ; dicamus igitur , sed  
frequenter cum Divo Paulo. *Mi Deus ,*  
*quid me vis facere ?* Cum Samuele : *loquere Act. 9. 6.*  
*Domine , quia audit servus tuus.* Vel deni-  
que cum Davide : *Notam fac mihi viam , in 1. Reg 3. 9.*  
*qua ambulem.* Si ipsius lumina ferventer *Psal. 142. 8.*  
non minùs , quàm constanter expetamus ,  
credimùsne , ipsum nobis ea negaturum ,  
cùm tamen ea quotidie largiatur peccato-  
ribus , qui iisdem resistunt ? is toties nobis  
etiam tunc locutus est , cùm eum audire  
nollemus ; & nunc taceret , ubi sincero vo-  
luntatis ejus cognoscendæ desiderio ipsius  
voci nos attentos præstamus ? si id faceret ,  
an non verbis , & providentiæ suæ deforet ?

III. Deus aliquoties tam clarè hac su-  
per re loquitur , ut non possimus eum non  
intelligere , tamque fortiter , ut ferè non  
possimus eum non sequi. Sic locutus est  
Matthæo , & Paulo. Sed hic ordinarius  
divinæ Providentiæ Stylus non est. Si  
Deus voluntatem suam tam apertè , & per-  
spicue nobis non indicat , vult , ut eos , qui  
nobis ipsius sunt loco , nempe conscientiæ  
nostræ directores accedamus. Sic Divum  
Paulum misit ad Ananiam , qui mentem ei  
divinam enucleatiùs explicaret. Vult , ut  
rationem nostram consulamus , nobisque

R-5 ob-



September. ob oculos ponamus finem , ob quem in mundum venimus ; ac tum , ubi ejus momentum ritè comprehendimus ; mox ad hunc finem efficaciter tendere statuamus , viamque tutissimam , & brevissimam eo pertingendi eligamus . Ratio nobis monstrabit , hanc viam esse statum , in quo plurima media ad hunc finem pertingendi sumus inventuri ; & minora , paucioraque obstacula , quæ nos à dicto fine averrant . Zelus insuper , quo in salutem nostram ferri nos oportet , ad eum arripiendum nos impellet . Si verò ratio nimis debilem se deprehendat , & ne decipiamur , timeat , mortem consulat ; quæ salutaria suggeret consilia . Conetur homo eos animi sensus concipere , quos tunc habiturus est , eamque partem eligat , quam in ultimo hoc momento elegisse se vellet : sic malam electionem instituere non poterit .

*Vtere hac ultima regula , non modò in statui electione , sed & in omnibus alijs deliberationibus , & dic tibi metipsi : quid in articulo mortis fecisse me vellem ?*

Relinquant iter rectum , & ambulant per vias tenebrosas . *Prov. 2. v. 13.*

Licet in limine Pater jaceat , per calcatum perge patrem , siccis oculis ad vexillum Crucis evola . *Hieron. Epist.*

DIES







Septembei. • penetrabimus, iisque penetratis delectabimur. Atque hæc delectatio fidem nostram animat; & viva fides fervorem nostrum inflammat. Agnosco, Domine quòd exiguus meus fervor è modica mea fide proveniat.

II. Altera temporis origo est; quòd nimium nos occupari patiamur vel negotijs, vel oblectationibus nostris. Animus in plura negotia divisus, dissipatusque facile languescit, & incapax evadit hujus applicationis, & ardoris ad agendum tam difficile salutis negotium necessarij. Remedium est, si non unicum, saltem præ omnibus alijs sibi curandum proponere salutis negotium, nec alia in se suscipere, nisi quatenus ea tanti hujus negotij cura permittit. Atque hujc juxta divinæ Providentiæ præscriptum cum intentione pura exclusa tamen omni mentis inquietudine, unice se applicare. Quod attinet ad animi relaxationes; quemadmodum nihil adeò cor emollit, ut vita mollis, & voluptuosa, sic etiam nihil adeò socordem reddit animam. Remedium est, non solùm animi remissionibus quamvis legitimis moderari, sed frequenter etiam sui divexandi studio eas minuere: hoc enim sui ipsius vexandi exercitiùm ad conservandum, & animandum fervorem plurimum conducit. Tertia temporis

origo.



origo est exemplum. Pauci sunt etiam <sup>September.</sup> perfectioribus, qui non aliqua in re animum relaxant. Ex horum parvis animi remissionibus alij illorum exemplo, auctoritate nixi easdem & majores sibi animi relaxationes permittunt; etsi illorum virtutes imitari non laborent. Remedium est, considerare aliorum exempla, ut ea imitemur; non verò eorum defectus, nisi ad eos evitandos; sibi que persuadere, nullum exemplum esse, præter exemplum Christi, quod imitari abque metu, & exceptione possimus.

III. Quarta origo teporis est nostra ignavia difficultati virtutis juncta. In dubium enim vocari non potest, virtutis exercitium difficile esse, sive id spectetur in suo objecto, quod sensus nostros, & aliquoties rationem transcendit, & non raro propensionibus nostris adversatur; sive spectetur homo, qui debilis, & inconstans est; & cum materia constet, ferè non nisi rebus sub sensum cadentibus moveretur. Remedium est, meminisse, quòd ipsa Veritas divina Christus asseveret, jugum suum suave esse. Quod si durum accidat, Crucem portare; suave esse debet eandem post ipsum portare, præsertim, cum is eam nobiscum portet. Si difficile videatur,

viii




September. vim sibi propter Deum inferre, unctio gratiæ, quam nobis impertitur, reddere eam suavem potest. Quid mundi sectatores agunt, & perferunt, ut mundo faciant factis, & ad supplicia æterna se præcipitent? quid nos, ut satisfaciamus Deo, & salutem æternam consequamur? meminisse nos oportet, nos plus fecisse ad sariandos effrenatos nostros affectus, quàm ad munus nostrum ritè obeundum. Sed denique, mi Deus, an nobis animus deesse potest, & fervor, si cogitemus, id, quod agimus, & toleramus, in felicitatem æternam desiderum?

*Statue hisce remedijs uti, ad medendum corpori tuo. Quantumcunque inveteratum sit malum; insanabile non erit, si illis, ut oportet, utaris.*

Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes. *Hebr. 12. 4.*

Invenire est homines pusillanimes, & remissos, deficientes sub onere; quorum brevis & rara compunctio, animalis cogitatio. *Bern.*



DIES



September.

## DIES XVI.

## De Misericordia Dei Peccatorem ad pœnitentiam recipientis.

tis.

I.

**C**Hristo nihil aded cordi fuit, quàm nobis demonstrare suam in peccatores misericordiam, quàmque promptus esset ad eos per pœnitentiam recipiendos. Incassum Pharilæi ea re offendeantur, incassum eum peccatorum amicum appellabant. Hanc enim exprobrationem gaudij, gloriæque argumentum sibi esse judicabat, malebaturque, ut illi de sanctitate, quàm misericordia sua ambigerent. Affirmabat libere, se non justorum, sed peccatorum causam venisse, ægros, non verò sanos à se veluti medico charitatis studiosissimo quæri. Laudat, excusat, & prætulera arroganti Pharilæo humilem publicanum, quantumvis gravium peccatorum reum. Magdalenam infamem illam, & sceleratam faminam non modò clementer in gratiam receperat, sed & illius defendendæ munus sibi impoluerat, eamque prædicat. Sancto quodam astu mulierem adulteram legis

ii.



September. rigori, & falso Pharifæorum zelo subtraxerat; & contentus, eam crimen suum fuisse confessam, aliam ei pœnitentiam non injunxit, quàm verecundiam, & dolorem de offenso Servatore, charitatis tantopere studio. In parabola boni pastoris, qui tanto cum ardore errantem quaerit oviculam, ostenderat admiranda sua in quaerendis peccatoribus desideria. Hæc omnia necdum ei sufficiebant: cum enim vereretur, ne amorem, & misericordiam suam in miseros peccatores non satis conciperemus, eam mirabili modo in parabola Filij prodigi exprimenda nobis demonstrare voluit.

II. Servatori jucundum fuit omnes circumstantias perversæ vitæ à filio prodigo traductæ nobis indicare, ut Patris misericordiam eidem ignoscentis melius conciperemus. Filius hic ingratus in nulla re bono Patri æquum se præstat, qui ipsum tenerimè dilexerat, & tam sollicitè educârat, postulat is ab illo legitimam suam, & non habita ratione admonitionum, neque blanditiarum, nec doloris, quem suo discessu Patri allaturus esset, lætabundus eum deserit. Vix ab eo discessit, cum beneficiorum, & admonitionum ipsius oblitus omnis generis pravitatibus se addicit  
tam



tam profusè, ut intra breve tempus ingen-  
tes opes dilapider, seque ad mendicitatem,  
& necessitatem serviendi, atque ad porcos  
pascendos demittendi redactum esse depre-  
hendat. An non agendi ratio, & miseria  
filij prodigi imago quædam est vitæ, &  
miseriæ tuæ? an vita adeò perversa, o-  
mniùmque beneficiorum oblita ansam da-  
re poterat infelici huic filio sperandi, se  
denuò inventurum quasdam benignitatis  
reliquias in corde Patris tam crudeliter of-  
fensi, & ad justissimam iram provocati?  
si is, non nisi iniquum cum Patre suo agen-  
di modum, & turpissimum ingrati sui ani-  
mi vitium examinâssset, næ is gravissimam  
invenisset causam de minima ope impe-  
tranda desperandi; sed benignitatis pristi-  
næ Patris sui erga se memor credit, se in a-  
more inexhausto cordis paterni reperire  
posse spem aliquam è miserijs suis emer-  
gendi: plenus proinde confusione, dolore,  
& confidentia ad Patrem suum redire, ad  
pedes illius, quem offenderat, se proster-  
nere, ejusque misericordiæ se penitus com-  
mittere statuit. Si filij prodigi effræna-  
tam vivendi licentiam imitatus es, cur e-  
jus confusionem, dolorem, confidentiam,  
& ad Patrem revertendi promptitudinem  
non imitaris?

S

III. In-



September. III. Infelix iste filius tremens, & confusus revertitur ad aedes Patris sui, ad ejus se pedes abjecturus; non quaerit reconciliatorem, aliud praeter cor Patris non desiderat; pristina Parentis benignitas polliceri ipsi viderur benevolentiam, qua in posterum quoque fruiturus esset. Neque fallitur: vix enim Pater suus eum contipicit, cum ipsum, quamvis longius abesset, quam oculi ejus eum discernere, paternus animus eum cognoscit; status miser, in quo erat, non impedit, quod minus eum filium suum esse adverteret. Nulla proin gravitatis, aetatis, imbecillitatis suae habitata ratione, nec, quam ingratum se filium exhibuisset, memor, Patrem solummodo se esse reputans, obviam illi currit, & ne leviter quidem ei exprobrata dissolutiois vitae licentiam cadit super collum ejus, & osculatur eum, pectori eum suo apprimat, lacrymis suis rigat, blanditijs favores jungit, eumque eleganti veste indui jubet, laetas ei epulas parat, & ad id omnes invitat, gaudij sui futuros participes. Possuntne omnia paternae hujus benevolentiae argumenta, quae nobis ipsemet, mi Deus, ad confidentiam nostram animandam enarrate voluisti, comparari illi benevolentiae, quam peccatori exhibes? atque adeo, li



cet vita mea sceleratior esset, vitâ filij pro-  
digi, an non in misericordia tua sperare  
deberem certò mihi persuadens, me à te  
benignè excipiendum?

*Tantum abest, ut me repulsurus, ut etiam è  
morum meorum emendatione gaudium perce-  
pturus sis.*

Pater, peccavi in cælum, & coram te ;  
jam non sum dignus vocari filius tuus.

*Luc. 15. 18.*

Talis vita mea ; nunquid vita, Deus  
meus. *Aug. l. Conf. c. 3.*

DIES XVII.

De Spiritu Pœnitentiæ.

I.

**N**ON satis est, externas pœnitentiæ spe-  
cies habere, sed ejusdem habere spi-  
ritum oportet. Primis Ecclesiæ tempori-  
bus nihil erat hoc pœnitentiæ spiritu com-  
munius, licet innocentes Christianorum  
mores eum, ut videtur, minus redderent  
necessarium. Nunc verò rarius nihil est,  
cùm tamen morum corruptela eum peni-  
tus esse necessarium ostendat. Si Spiritus  
iste animum aliquem occupavit, fieri non  
potest, ut in eo non procreet tres effectus.

S 2

Pri-



September.

Primus est, sincerum quoddam Deo satisfacendi desiderium, cor suum affligendo, corpus suum divexando, sensus suos, & minùs compositas propensiones subigendo. Homo verè pœnitens cor suum velut hujus rebellionis considerat authorem, quo instigante omnes ejus potentiae in Deum insurrexere: proinde amore Dei, & pœnitentia de eo offenso tactus exclamat: *Crucifigatur: reus est mortis.* Cor hoc cruci affigi debet per vivum, & assiduum dolorem; millenorum enim scelerum reum est. Ad id puniendum necessarium est, ut per sinceram contritionem peccatis suis moriatur. Præterea considerat corpus suum, velut servum rebellem, qui à Domino suo defecit; ac propterea tantùm abest, ut vel minimùm ei indulgeat, ut potiùs sibi persuadeat, satis austerè in id sæviri non posse. Acque hinc oritur ille fervor, quem concipit, id subigendi jejunijs, vigilijs, cilicijs, & alijs modis, quos Pœnitentiæ spiritus suggerit illis, qui eo tanguntur. Ah! indulgentia, qua sceleratæ, & rebeli carni blanditis, probè ostendit, te Pœnitentiæ spiritui non satis animari.

II. Alter effectus, quem Pœnitentiæ spiritus in anima aliqua generat, est amor  
so-



solitudinis, & separatio à mundo. Homo September,  
pœnitens mundum, & periculosas occa-  
siones, quæ in eo inveniuntur, quæque la-  
psuum ipsi fuere causa, cum eodem timo-  
re, imò horrore intuetur, quo nos intue-  
mur scopulos, ad quos naufragium feci-  
mus. Hic cum inducit ad occasiones evi-  
tandas propriâ experienciâ debilitatis, &  
corruptionis animi sui convictum, simul-  
que docet, quàm parùm fidere virtuti suæ  
possit. Credit insuper, se non posse præ-  
terquam in fuga, & solitudine securitatem  
suam invenire. Novus pœnitens cor suum  
considerare debet, ut faciem veritate ex-  
tinctam; sed adhuc fumantem, quæ mox  
denuò accenditur minima flamma propiùs  
admota, id est, rebus, quæ priùs id inflam-  
mârunt. Virtutem suam considerare de-  
bet, ut tenerum florem vix è calyculo pro-  
deuntem, qui ad minimum æris flatum,  
vel solis ardorem marcescit. Denique a-  
nimæ, quæ ad Deum, & meliorem fru-  
gem redeundi desiderio tenetur, necessa-  
rium est, se turbæ subtrahere, & ad seipsam  
reverti, ut animi sui corruptelam, pecca-  
torum suorum gravitatem, & funestas ani-  
mi affectiones, quibus abripi se passa est,  
cognoscat, ut eas coram Deo deplorat, la-  
chrymis suis expiet, earum fontes indaget,



September. & remedia eis adhibeat. Si motus pœnitentiæ, quos Deus tibi inspirat, tam modicum fortiantur effectum, an non hoc inderitur, quòd curæ tibi non sit, mando, quò ejus tibi jacturam parit, te subducere?

III. Tertius effectus, quem Pœnitentiæ spiritus in aliqua anima progignit, est amor orationis. Anima pœnitens, quæ videt, & sentit miseriam suam, suam ad malum propensionem, impotentiam suam, & à bono aversionem, facile comprehendit, quantopere auxilio divino, gratusque ad illam superandam sibi opus sit. Qui verò certius eas obtinere potest, quàm oratione? præterea nulla oratio plus apud Deum potest, quàm secretus hic gemitus animæ delicta sua præterita, miseras suas præsentis deplorantis, Deumque mæsto, sed eloquenti silentio deprecantis, ut illa sibi remittat, & ab iisdem se servet immunem? & quid melius convenit animæ pœnitenti? continua ejus occupatio esse deberet, coram Deo ingemiscere, & cum Propheta dicere: *Domine, ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.* Da mihi, Domine, hunc spiritum orationis, cui semper associatæ sunt gratiæ, qui mihi conciliet effectus misericordiæ tuæ tantopere mihi necessarios, meque, qui enot-

mum

*Psal. 37.  
v. 10.*



miuum scelerum reus sum, magnum reddat September, 2  
pœnitentem

*Si peccator es, pœnitens esse debes. Sed ve-  
rus pœnitens non es, nisi orationi, solitudini, &  
mortificationi te addicas.*

Postquam coangustatus est, egit pœni-  
tentiam valdè coram Deo, deprecatusque  
est eum. 2. Paral, 33. 12. & 13.

Pœnitentia pro Dei indignatione fun-  
gitur. Tertull.

DIES XVIII.

De Amore Deliciarum.

I.

**V**ita mollis, & delicijs debita plerumque  
immoderata, & non rarò vitiosa est,  
etsi vitium in ea deprehendi non possit.  
Quælibet deliciae seosum carere vitio  
possunt, sed earundem continuatio, amor  
nimius, quo illæ appetuntur, & hujus a-  
moris effectus sæpissimè nos reddunt scele-  
ratos. Servator illis, qui vitam hanc vo-  
luptuariam agunt, maledictionem impre-  
catur: *Væ vobis, divitibus, qui habetis consola- Lue 6 v. 24i  
tionem vestram: Væ vobis, qui saturati estis. & 25.  
Væ vobis, qui ridetis. Nihil est, excepto*

S 4

pec-



*September.* peccato, vel statu peccati, quod Christo maledictionis possit esse scopus. anne vita delicias consecretans, cui ipse maledictione tam clarè minatur, innocens esse potest? nos, qui corrupti sumus, à peccato nos tueri non valemus, si propensione ad id nos inducenti non resistamus; qui verò propensione huic resistere possumus, nisi continuam nobis vim inferamus? quomodo homo aliquis, qui in delicias suas impotenti cupiditate fertur; qui cum timore, & horrore spectat, quidquid ijs adversatur, sufficientem sibi vim inferre potest? qua igitur ratione adversus eas tueri se potest?

II. Deliciae innocentes, & vitiosae idem sæpè objectum habent; nec inter se differunt, nisi in circumstantijs, moderatione, vel excessu. Lusus, exempli gratia, est oblectatio, quæ in se innocens esse potest; si verò in consuetudinem transeat, ut multis evenit, si nimium temporis ei tribuatur; si affectus noster nimium ei affigatur; tum iste in lulum affectus ad officia nostra negligenda nos impellit; si nimis multum pecuniarum exponatur, quis dubitet, quin lusus iste vitiosus sit? annon ex communi hominum sensu impossibile est, ubi lusus in immodicam cupiditatem degenerat, dignoscere, quousque sese limites justæ animi



mi relaxationis extendant? & si quis dignosceret, foretne minus impossibile, intra hosce terminos, ut par est, sese continere, quàm firmum pedem figere in loco præcipiti, & lubrico, ex quo vi omni detrudimur? Præterea, in quo consistit malitia peccati lethiferi? in eo, inquit S. Augustinus, ut quis media sibi statuat finem, & finem media. Jam verò, an non homo delicij deditus præcipuam suam occupationem constituit in quærendis oblectationibus? an non de ijs plus, quàm de salute sua, Deoque cogitat? annon omnia ferè ad illas refert? Ecquid est voluptatem suam sibi finem statuere, si hoc non est? an negari potest, hominem sic animo comparatum peccatum grave admittere? an non immoderatus affectus, quem erga voluptates tuas foves, ansam tibi præbet metuedi, ne huic statui implicitus vivas? & nihilominus, quòd voluptates vitiosas non admittas, infontem, te credis? Verùm, annon Deus aliud hac super re iudicium feret?

III. Possumusne sine gravi delicto vitam agere, quæ nos moraliter impotentes reddit ad obeunda munera conditioni nostræ, Christianorumque dignitati, qua gloriamur, annexa? an non immoderatus vo-



September.

luptatum amor ad id nos reddit inhabiles? annon iudex, qui animi remissionibus immodica cupiditate inhiat, laborem fugiet? an non ei difficilia accident studia necessaria ad acquirendam habilitatem, sine qua munus suum nec obire, nec, quod consequens est, in eo perseverare potest? impendetne omnem operam, quæ exigitur ad examinandum negotium quoddam implexum, & causam perfectè cognoscendam? nonne eam scribarum alicuj negligentis, & corrupto committet? habebitne Ecclesiasticorum, vel Curionum aliquis, qui genio suo indulget, zelum illum, quo carere ipsi haud licet, quin muneris sui prævaricator sit? suscipietne in se labores, sine quibus muneri suo satisfacere non potest? poteritne mulier sibi dedita, quæ præter animi remissiones aliud animo non voluit, eò adduci, ut sufficientes marito suo placendæ curas in se suscipiat, ut liberorum suorum educationi se impendat, domesticorum suorum actibus invigilet? an non hæc omnia ad officium Christiani ritè implendum necessariò requiruntur? & si deliciarum amor ab his præstandis eam impedit, annon salutis æternæ consequendæ eam efficit incapacem? quo igitur fundamento, mi Deus, nititur spes salutis tot fami-

na.



narum, quarum vita nihil est, nisi assidua September.  
deliciarum confectatio?

*Examina te, ut perspicias, an non delicijs ni-  
miam sis addictus; & si id cognoscis, nitere huic  
cupiditati moderari, ejusque effectus impedire.*

Væ vobis divitibus, quia habetis conso-  
lationem vestram. *Luc. 6. 24. & 25.*

Væ vobis, qui saturati estis. Væ vobis,  
qui ridetis. Lubrica spes, quæ inter fo-  
menta salvari se sperat. *Hieron.*

## DIES XIX.

### De Defectibus Christiano in Conversazione Vitandis.

#### I.

QUAM difficile est cum hominibus con-  
versari, ut Deum non offendamus,  
nec conscientiam nostram lædamus. Vi-  
rum perfectum esse oportet, inquit S. Iaco-  
bus, qui loquendo non peccet. Sed in-  
super addit: qui non potest refrænare lin-  
guam suam, seipsum decipit, si credat, se  
verum Christianum esse. *Quotiescunque*  
*inter homines sui*, inquit Sanctus quidam  
vir; *minor homo redij.* Hoc est, homo mi-  
nus probus; an non verum est, conversa-  
tiones tua *potissimam Confessionum tua-*

rum



September, rum esse materiam? silentium est medium brevissimum juxta, & tutissimum, innocentiam suam conservandi. Plurimi inveniuntur defectus, quos vitare in hujusmodi congressibus oportet. Primus est inutilitas. Quibusnam de rebus pleraque fœminæ, ne illis quidem exceptis, quæ probæ censentur, colloquia miscent? de rebus frivolis, & ferè nihili, auditur inter eas de Deo sermo? risui sese exponendas esse crederent, si id fieret. Potestne ulla ex re alia Christianorum corruptela melius cognosci? nihil est, ex quo melius colligere possimus, quàm parùm Deum amemus. Si te, mi Deus, amaremus, frequenter tui recordaremur; si tui recordaremur, etiam de te loqueremur. Si in ore nostro non versaris, inde oritur, quòd in corde nostro non inveniaris. Si verò conversationes inutiles damnandæ sunt, quid sentiendum de periculosis, & sceleratis, quæ plenæ sunt vel colloquijs vanis, vel maledicis, & obscœnis?

II. Quænam est materia potissima colloquiorum viris valdè honestis, & illis, qui minùs improbi æstimantur? omnia versantur in æstimatione divitiarum, honorum, animi relaxationum. Ex hisce regulis proponuntur infinita axiomata va-



na, Evangelio adversantia, &, quod con- Septembris,  
sequens est, falsa, idque nemine reclaman-  
te. Si quis in medium proferret propo-  
sitiones veritatibus, ut vocant, speculati-  
vis Evangelij contrarias, etiamsi nec mini-  
mam de Religione cogitationem haberet,  
an non in hujusmodi impietatē insurgere-  
tur? dū verò venditantur axiomata verita-  
tibus Evangelij practicis repugnantia, pro-  
ferenti applauditur. Sed, amabo, sūntne  
istæ minùs fidei dogmata, quàm illa? inte-  
rea Christianus, qui nulli alteri defectui in  
sua conversatione obnoxius esset, innocen-  
tem se reputaret. Verùm, annon eorum  
rationem reddet coram severo tribunali il-  
lo, ubi etiam verba otiosa judicabuntur? &  
quid erit de verbis aliorum famam læden-  
tibus? quàm rarò contingit conversationi-  
bus interesse, in quibus proximi fama non  
laceretur? quàm rarò contingit, ut quis  
hujus vitij particeps non sit? at, si quis iæa  
virtutem colat, ut alieno nomini non de-  
trahat, éstne tantæ etiam virtutis, ut de-  
tractiones cum voluptate non audiat? ec-  
quis probitatis adeò studiosus est, ut se,  
prout obligatur, detractioni opponat. Et  
tamen is, qui detractionem libenter audit,  
vel ignaviter tolerat, cùm eam impedire  
posset, non minùs reus est, quàm ipse ob-

re-



**September.** trectator. Eheu ! auderesne posthæc  
infontem dicere?

III. Estne rariùs quid, & non magis  
adhuc deplorandum, videre Christianos,  
qui sermonibus inhonestis, & obscænis  
prophanant linguam toties Christi Sanguine  
tinctam; videre fæminas, quibus  
pudorem, & modestiam natura indidit,  
quæque se Christianas dicunt; & nihilo-  
minus in alijs verba libera, & ambigua to-  
lerant, eaque ob delectationem, quam ex  
ijs capere advertuntur, provocantur, & si-  
bi metipsis permittunt. Hujuscemodi ver-  
ba veluti nihilum reputantur, & facetiæ  
appellantur; cum tamen Apostolus ea pec-  
catis illis annumeret, quæ nobis cælum  
occludunt, & conscientiam ea proferen-  
tium, & animas audientium maculant. Ah!  
quàm multis juvenibus unicum verbum  
ambiguum, unicum verbum obscænum  
innocentiam eripuit. Verbum hoc am-  
biguum turpem cogitationem generat;  
turpem cogitationem sequitur turpe de-  
siderium, & turpe desiderium interitum a-  
nimæ parat, dum eam sceleratam reddit.  
Quàm crudeles facetiæ, quæ ad perniciem  
animarû Christi sanguine redemptarû col-  
limant! Væ tibi, si harû particeps! si eas  
modò non deploras, quas lachrymas olim  
sibi elicient?



Fac ad Deum orationem Davidis; & dic ei Septembes.  
cum hoc Propheta: pone Domine custodiam ori  
meo, & ostium circumstantiæ labijs meis, ut non *Psal. 149*  
delinquam in lingua mea.

Si quis autem purat, se Religiosum esse,  
non refrænans linguam suam, sed seducens  
cor suum, hujus vana est Religio. *Iacobi 1. 26.*

Facilius est tacere, quam verbo non  
excedere. *Imit. Christ l. 1. c. 16.*

## DIES XX.

### De Oratione Matutina.

#### I.

**O**Ratio matutina functio esse videtur  
homini etiam non Christiano per-  
quam necessaria: quantopere igitur ad eam  
persolvendam Christianus obligatur? Deus  
prima est nostra origo; itaque non cultum  
duntaxat, sed primum cultum ejus Maje-  
stati præstare tenemur, manè eum adoran-  
do. Atque hoc negligere sine injustitia,  
& quadam sacrilegij specie non possumus.  
Sic Spiritus Sanctus nos hortatur: *Iustus cor Eccli. 49.*  
suum tradet ad vigilandum diluculo ad Domi-  
num, qui fecit illum, & in conspectu Altissimi *v. 60*  
deprecabitur. In sacris litteris Deus fru-  
gum



September.

gum, atque animalium primitias ardentissimè ambire viderur; sæpiùs, & instantissimè eas sibi offerri præcipit, & ijs, qui id non præstant, pœnas horrendas minatur. Unde oritur tam ardens easdem obrinendi desiderium, & zelotypia? quid enim addeere ipsius gloriæ poterant fructus oblati, bestię jugulatæ? per hoc ostendere nobis voluit, quantopere cordis nostri primitias affectaret, quantumque sibi doleret injuria, quam ei inferremus, si illas, Deo iniquè posthabito, creaturis consecraremus. Omnes creaturæ Deum suum venerari cultu religioso debent: sed cultus iste, omnibus alijs posthabitis, divinæ Majestati omnium primò deferendus est. Si igitur diei reliquias Deo colendo tribueremus, haberetne acquiescendi causam in eo, quod mundus, & creaturæ ipsi fecere reliquum? annon Ethnici, qui tam solliciti erant, primum hunc cultum idolis suis præstandi, & Turcæ, qui in ipso armorum tumultu quinquies de die Deum adorare solent, Christianos condemnabunt?

II. Beneficijs Dei assiduè fruimur; possumusne prompti nimis esse ad agendas Deo grates? annon primus cordis nostri motus, cum expergiscimur, esse debet motus grati animi? atque ad hoc eò magis ob-

li-



obligamur, quod rursus evigilemus novo September.

Dei beneficio, qui de nocte nos à repenti-  
na, & unà forsan à morte æterna servavit;  
in quam peccatum, cui eramus obnoxij,  
nos adduxisset. Quàm multis hominibus  
id hac ipsa obvenit nocte! an non eorum  
infelicitas cuiusdam admonitionis, & inci-  
tamenti est loco ad gratam animi erga  
Deum significationem, qui nos ab illa tui-  
tus est? quodlibet vitæ nostræ momen-  
tum pluribus Dei beneficijs insignitur; ut  
eorum nec unicū sit, in quo nos non conser-  
vet, in quo nobis non succurrat. An igi-  
tur vel unicum momentum esse decet, in  
quo ipsius non recordemur, in quo non to-  
rum, quod sumus, totum, quod habemus,  
& omnia, quæ agimus, ei non offeramus.  
Verùm, cùm per imbecillitatem nostram  
singulis id momentis præstare nobis haud  
liceat, saltem hoc agere non negligamus.  
primis diei momentis, & viva quadam gra-  
ti animi testificatione Deo dicamus: totum  
id, quod sum Domine, totū id, quod habeo.  
totum id, quod possū, à te proficiscitur: ita-  
que tuū sit, oportet; totum proin penitus id  
tibi consecro; cor meum, & omnes ejus mo-  
tus, & quidquid interdiu acturus, aut pas-  
surus sum, tibi offero, nihilque aliud opto,  
quàm. ut omnia ad gloriã tuam referantur.

T

III. Pro-



September,

*Oportet semper orare, & nunquam deficere.*

*Luc. 18. 13.*

III. Proprium nostrum commodum nos quoque obligat, ad satisfaciendum officio orationis matutinæ. Secundum Christi monitum, orandum semper nobis foret, cum magnis ad id necessitatibus impellamur, quas probè agnoscere par esset; atque hæc agnitio urgere nos assidue deberet, ut per orationem ad illum confugeremus, qui solus subvenire nobis potest. Verùm necessarium est, saltem cum prævidemus, vel metuimus occasiones periculosas, in quas incidere poterimus, objecta periculosa, quæ nobis occurrere, diversas necessitates, quæ nos premere, violentas tentationes, quæ invadere nos poterunt; necessarium, inquam, est, ut imbecillitate, & impotentia nostra hæc occasiones prævertendi, hisce tentationibus resistendi, ab his objectis nos defendendi, ex his necessitatibus nos eruendi convicti ad ipsum confugiamus, qui protectione sua hæc pericula avertere, gratijs suis debilitatem nostram roborare, ignaviam nostram animare, præcautioni nostræ succurrere, & omnibus necessitatibus nostris subvenire potest. Eheu! qui fit, ut in occasionibus adeò sis imbecillis, ut toties tentationibus succumbas, ut de die tam facilè in peccatum labaris? annon hæc est causa, quòd curæ tibi non



non sithæc pericula, & miserias tempore <sup>September.</sup>  
matutino prævertere petendo â Deo gratias  
tibi necessarias, quas Deus non nisi oratio-  
nibus concedere decrevit?

*Statue primum cordis tui motum Deo conse-  
crare, & preces matutinas, quocunque demum  
obtentu, nunquam negligere.*

Iustus cor suum tradet ad vigilandum  
diluculo ad Dominum, qui fecit illum, &  
in conspectu Altissimi deprecabitur. *Ec-  
cli. 39. 6.*

Vides, quomodo te reddat certum de so-  
licitudine sua, quam pro te gerit, si te sen-  
serit sollicitum sui. Vigilas tu? vigilat  
ille. Consurge, accelera, anticipa ipsas  
etiam vigilias, invenies eum, non præve-  
nies. *Bern. in Cant.*

D I E S XXI.

De Praxi Imitationis Iesu  
Christi.

I.

**S**criptura Sacra Verbum æternum, & Sa-  
pientiam increatam appellat Speculum  
sine macula. Præcipuus usus speculi est  
nostras nobis maculas, & defectus aperire,  
ut eos corrigere, simulque desiderium eos

*Speculum si-  
ne macula  
Dei Maje-  
statis. Et i-  
magô Boni-  
tatis illius.  
Sap. 7. 26.*

T 2

emen



September. emendandi in nobis excitare possimus, dum nobis eorum turpitudinem ob oculos ponit. Primus effectus, quem perfecta Christi divini hujus speculi cognitio proferre in nobis debet, est, nobis proponere vitia, & defectus nostros, & quod consequens est, ostendere, quàm dissimiles huic admirando exemplari simus, atque unà desiderium, & medium omnes hæc maculas delendi, nobis inspirare. Itaque, quemadmodum homo aliquis vanus, & cupiditati mundo placendi immerfus, speculum sæpiùs consulit, faciei suæ maculas, vel ornatus sui defectus observaturus, ut omnia decenter componat; sic ij, qui Deo placendi desiderio tenentur, frequenter oculos converttere in Christi Cruci affixi imaginem debent, velut in admirabile speculum, quod ipsis vitia, & defectus suos ostendet, simulque potens incitamentum suggeret, sincerum desiderium inspirabit, seque corrigendi medium suppeditabit. Hinc initium facere nos oportet ab imitando Christo; quod S. Paulus appellat exuere veterem hominem, quæ necessaria ad novum induendum dispositio est.

*Secundum  
mensuram  
regula, qua  
mensus est  
nobis Deus.*

2. Cor. 10.

13.

II. Præterea, SS. Litteræ Christum vocant Regulam nostram. Architectus, qui palatium quoddam extruere cupit, in  
men-



mente habere debet aptam, exactamque  
ejusdem idæam, quæ ei regulæ sit loco, &  
ad quam omnes operis sui partes exigat,  
nec unquam aberret. Tota Christi vita  
generalis est vitæ nostræ regula, & quævis  
actionum ipsius singillatim regula cujusli-  
bet actionum nostrarum esse debet: idcirco  
ipsius facta oculis nostris obversari assidue  
debent, velut totidem regulæ, ut ijs no-  
stra accommodemus, eaque emendemus,  
si illis inveniantur dissimilia. Vita nostra  
tribus actionum generibus constat. Pri-  
mæ sunt actiones purè naturales, quæ vitæ  
conservandæ serviunt, quales sunt bibere,  
edere, & dormire. In his actionibus con-  
ijcere oculos nostros in Christum debe-  
mus, ut animadvertamus, quomodo ipse  
easdem exercuerit, quomodo actiones vi-  
lissimas nobilissimis intentionibus elevare  
noverit, quomodo earum regula fuerit ra-  
tio, earum mensura necessitas; & quomo-  
do eisdem junctæ semper fuerint modera-  
tio, & temperantia. Arque, ut eum in mo-  
dum agamus, ut eadem circumstantiæ e-  
tiam in ijs actionum generibus, cum nos  
eas obimus, inveniantur.

III. Secundi generis actiones sunt illæ,  
quæ spectant officia vitæ civilis, ut Chri-  
sto regulæ nostræ divinæ nos accommode-



September.

mus, necessarium est assiduè nobis ob oculos ponere modum illum admirabilem, quem ipse in conversando tenuit, considerare, quantam in actionibus suis exterioribus modestiam præ se tulerit, quantam in verbis suis circumspectionem, & mansuetudinem, quantam humilitatem amabili gravitati conjunctam, quantam imbecillitati quorundam se accommodandi facilitatem, quantam in perferendis aliorum importunitatibus, & persecutionibus patientiam, quantam erga miseros commiserationem, quantam eos consolandi, & juvandi sollicitudinem, quantam erga omnes urbanitatem, benignitatem, & charitatem demonstrârit. Observasne has regulas in tua conversatione, sicut oportet? si non observas, causa est, quòd Christum præ oculis non habeas. Postremæ actiones sunt illæ, quæ spectant ad cultum Dei: hæ sunt, in quibus singulariter Christum imitari nos oportet: itaque si precari cupis, Iesum in horto olivæ orantem contemplare; quanta reverentia, & humilitate Patrem suum non adorat? faciem suam in terram prosternit; quanto fervore, quanta intentione? à discipulis suis recedit, ut animam suam ab omnibus alijs rebus avocet. Quanta confidentia? Ah! *Pater mi: omnia tibi*

pos.



possibilia sunt. Quanta perseverantia! per Septemberi  
horam integram orat, quamvis non exau-  
diatur. Quanto consensu cum voluntate  
divina. Ah! *Pater mi, si possibile est, transeat à* *Matth. 26*  
*me calix iste: verumtamen non, sicut ego volo,*  
*sed sicut tu.* Hunc in modum orare nos o-  
portet. An id facis? si oratio tua huic re-  
gulæ non respondet, recta oratio non est:  
si verò ita se res habet, mereturne exaudiri?

*Assuesce in qualibet actionum tuarum oculos  
in eas Christi actiones conijcere, cum quibus tuæ  
convenire possunt, ut ijs tanquam regula utaris,  
juxta quam tuas instituas actiones.*

Aspicientes in authorem fidei, & con-  
summatorem IESum. *Hebr. 12. 2.*

Sicut à Deo nos separat dissimilitudo, ita  
nos illi conjungit imitatio. *Aug.*

---

## DIES XXII.

### De Patientia in Rebus Adver- sis.

#### I.

**H**omo patiens, inquit S. Iacobus, homo  
perfectus est. Casus adversi cunctas  
virtutes exercent, probant, easque illu-  
stres reddunt. Sine rebus adversis virtu-  
tes vel dubiæ, vel imperfectæ, vel imbe-



September. cilles sunt: sed, ubi adversa ingruunt, virtutes certæ, & perfectæ redduntur. Quanto opere fides non se prodit in hujusmodi rebus afflictis; cum ea nos doceat, nos à Deo amari, dum nos castigat; ex ejus benignitate oriri, dum nos affligit; eum bene nobis cupere, dum malum nobis infert; id fieri, ut nos humiles, & demissos reddat; ut nos probet, ut mundi vanitatibus renuntiemus, eique adhæreamus, ut filij sui Crucis affixi imaginem, & unâ prædestinationis nostræ characterem nobis imprimat; denique ut coronam nostram certam reddat, & augeat? quantam ad hæc omnia credenda fidem habere non oportet, cum ei repugnet, & natura, & lumen rationis humanæ; quibus adstipulatur sensus omnium animi motuum, & omnium fere hominum judicium?

II. Quid melius prodit spem, quam cernere hominem afflictum, persecutionibus oppressum, opprobrijs obrutum, in nihilum, ut ita dicam, & in statum, è quo emergendi nec minima spes apparet, redactum; cernere, inquam hunc hominem

Rom. 4. 19. sperantem *contra spem in spem*; omnem fiduciam suam in Deo collocantem, qui non modò eum deseruisse, sed & inimicis ipsius ad eum perdendum associasse se viderur; &

ni-



nihilominus cum Jobo dicentem: *etiamsi September. me occideris, in te sperabo: in hanc severam manum confiderem, quæ lethalem ictum Job. 13. 15. mihi infligeret.* Quid magis admirandum, quàm videre hominem sibi constantem ad instar scopuli in medio fluctuum, quibus undique verberatur, immoti? solum lumen rationis tantum spectaculum in hujusmodi generoso animo, & in tali confidentia, ut etiam Ethnico cujdam hæc verba expresserit: *spectaculum Deo dignum vir bonus cum mala fortuna compositus; Seneca.* neque tamen victus.

III. Sed quanta charitate opus non est, ut amemus Deum etiam tunc, cum deditâ operâ nos persequi videretur; ut eum ceu Patrem reverentia, & amore filiorum prosequamur tunc etiam, cum nobiscum velut inimicis suis rigidè agit; ut eum non solum adoremus, sed etiam divinæ providentiæ ordines, quantumcunque severi esse credantur; ut non tantum revereamur percutientis manû, sed etiâ exosculemur? Nihil, dicere solebat Divus Ludovicus in hujusmodi statû redactus, meliùs nobis demonstrat, quantus sit Deus, quantumque mereatur. Quanta obedientia non opus est, ut quis velut alter Isaacus imponi se rogo patiatur non solum absque repugnantia, sine mur-



September, muratione, sed & sine querimonijs; ita,  
 ut cum Davide dicat: *feri Domine: ego enim  
 in flagella paratus sum.* Novi enim, manum  
 tuam à corde tuo dirigi: vel cum Jobo: *Et  
 hæc fit mihi consolatio, ut affligens me dolore,  
 non parcas.* q. d. Equidem multa perpe-  
 tior; natura probè scit, quàm acerbum sit  
 pati: sed cum hoc à tua proveniat volun-  
 tate, suave id mihi accidit: ad assiduas æ-  
 rumnas sensus, & ratio consternantur: sed  
 Deus vult. Hæc una vox omnia mitigat.  
 Sic loquitur, sic agit homo patiens. Im-  
 pletur ne voluntas divina perfectiùs in cœ-  
 lo? faciuntne eam sancti Cælestis Paradi-  
 si incolæ jucundius? faciuntne eam genero-  
 sius?

*Si scire aves, an pietatem habeas sinceram,  
 virtutem veram, collige id è tua in rebus adver-  
 sis patientia: omnia namque alia signa sunt ambigua.*

In igne probatur aurum, & argentum;  
 homines verò receptibiles in Camino hu-  
 militationis. *Eccli. 2. v. 5.*

*Sæviat, quantum vult, pater est.* Aug.  
 in Psal.



**DIES**



## DIES XXIII.

De Charitate erga Proxi-  
mum.

## I.

**Q**uamdiu fecistis, inquit Christus, uni ex *Math. 25.*  
fratribus meis minimis, mihi fecistis. *v. 42*

Itaque in persona proximi Christum intue-  
ri debes. Is latet in hoc paupere, in hoc  
misero, in hoc inimico, qui tam crudeli-  
ter te offendit. In his non minus verè est,  
licet modo penitus diverso, quàm in San-  
ctissima Eucharistia, cum utrumque ver-  
bo Dei æqualiter nitatur. Si vilitas, &  
miseria hujus pauperis ab eo te aversum  
reddit; Majestas Christi, quæ hunc pau-  
perem, hunc miserum incolit, reveren-  
tiam tibi imprimat, & charitatem inspiret.  
Si injustitia, & crudelitas hujus inimici  
bilem tibi moveret, benignitas, & mansue-  
tudo Christi, quem intueri in hoc inimico  
debes, animum tuum mitiget, & iracun-  
diam comprimat. In finitis nominibus  
Christo devinciris: quæ igitur obsequia  
jure exigere à te non potest? hisce quidem  
ipsi non est opus, transfert tamen omnia  
sua jura in proximum tuum. Interea ra-

siō.



September. tionem habebit omnium obsequiorum, quæ illi præstas. In iudicio extremo videbitur oblivisci eorum, quæ sibi facta sunt, solummodò mentionem faciet obsequiorum amore sui proximo præstitorum.

*Matth. 25.* Esurivi, & dedistis mihi manducare &c.

*Zach. 2. 8.* II. Qui tangit vos, inquit Dominus, tangit pupillam oculi mei. Deo non satis est dicere, ab eo, qui fratrem offendit, Deum ipsum offendi; sed addit; in ipsa etiam oculi pupilla lædi, id est, in parte tenerri-

ma, & doloris impatientissima; non leve vulnus est, quod oculi pupillæ infligitur; quodlibet vulnus maximum, nec levis momenti dolorem ei affert. Sic amor, quo Christus in fratres nostros fertur, facit, ut quodvis malum, quod ipsis inferitur, non ut malum duntaxat, sed ut maximum malum consideret, quo magis moveri videatur, quàm eo, quod sibi metipsum obtingit. In sententia, quam Christus in extremo iudicio pronuntiabit, propriæ causæ oblivisci videtur, minúsque attentus injurijs sibi illatis, earum mentionem non facit, sed duritiei in pauperes admis-  
sæ: *Esurivi*, inquiet in persona pauperum, & non dedistis mihi manducare. Amor, quo eos prosequer, me impulisset ad dandum vobis cælum pro panis frustillo, si hoc

*Matth. 25.*  
42.



hoc ei dedissetis, sed hoc pretio illud e-  
mere noluitis. Idcirco jure illud obti-  
nendi excidistis, & proin in omnem æ-  
ternitatem, non nisi maledictionem, &  
quæ eam sequitur, perennem infelicitatem  
incurreretis.

III. Si Christus ipse stipem à te flagita-  
ret; quemadmodum eam à quibusdam  
Sanctis petijt, si quam gratiam à te posce-  
ret, si obsequium aliquod sibi exhiberi exi-  
geret, an id ei negares? annon te nimis  
honorarum, & felicem reputares? an non  
omnium gratiarum maximam esse cense-  
res, habere occasionem, & vires gratum  
quid Christo præstandi? jam verò, si ob-  
sequium aliquod fratri tuo Christi amore  
præstas, si in ipsius nomine pauperi stipem  
porrigis, securior es te id obsequij Christo  
præstare, quàm esse possis, si id ipsi Christi  
personæ præstes. Soli sensus tui, qui fal-  
lere te possunt, in hoc rerum statu hujus  
te securum redderent. Fides verò, quæ  
imponere tibi non potest, id tibi pollice-  
bitur in occasionibus, quæ tibi quotidie  
suppetunt, charitatem erga fratres tuos  
exercendi. Fatere igitur, charitatem ti-  
bi non deesse, nisi quia fide cares. Heu  
me! Domine, si fides, & charitas mihi de-  
sunt, quis, nisi ethnicus, & reprobus sum?

As-

September.



September.

Assuesce sequi Consilium Apostoli, vel potius præceptum Servatoris, quod jubet Christum intueri in proximo suo; tum difficile tibi non accidet ei benefacere, sed longè difficilius, ei malum inferre.

Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. *Matth. 25. 40.*

Auro parietes, auro fulgent laquearia; & nudus atque esuriens ante nostras portas Christus in paupere moritur. *Hieron. Epist. 32.*

## DIES XXVI.

## De Paupertate.

I.

PAupertas est thesaurus Evangelij absconditus, cujus pretium homines non cognoscunt. Necessarium proinde fuit, ut Deus in terram id docturus descenderet. Deus, inquit S. Bernardus, omnia bona gloriæ in cælo possidebat: sed thesaurus paupertatis ibi non inveniebatur: venit itaque in terram, eundem quaesiturus; & propter hunc è cælo se demisit is, qui infinite dives erat, egenus factus est, inquit Apostolus, ut illius inopiâ nos divites essemus. & per hoc mōdebatur cupiditati

2. Cor. 8.  
v. 9.

no-



nostræ, quæ, cum nos impelleret ad nimis ardentem desideranda, & immoderata sollicitudine cumulanda terræ bona, nos discrimini exponebat, cælestia amittendi. Paupertas est illa gemma pretiosa Evangelij, quam obtinere non possumus, nisi omnium bonorum nostrorum impendio; neque tamen eam pretio nimis magno comparamus. Servator omnibus suis bonis ad eam impetrandam se spoliavit: siquidem tam pauper natus est, vixit, & mortuus est, ut omnium bonorum loco, non nisi Crucem, clavos, & coronam è spinis contextam haberet. Is non tantum paupertatem amavit, sed etiam pauperes; elegit Apostolos, inter pauperes vitam suam transegit. Et hi fuere præcipuus curarum, & instructionum ipsius scopus. Denique paupertatem satis remunerari non credidit, nisi eidem jus Regni cælorum consequendi firmaret: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cælorum.* Credisne hunc fidei articulum tu, qui paupertatē tantopere formidas, tu, qui tanto bona congerendi desiderio flagras?

Matth. 5. 3.

II. Paupertas virtus hæc Evangelica omnibus statibus, sed modo diverso convenit. 1. ea obligat homines, qui in mundo degunt, ut animum à bonis terrenis ab-

stra-



**September:** strahant, & desiderium ea cumulandi moderentur. Imò Apostolus Christianos, etsi Religiosi non sint, hortatur, ut ij, qui bona possident, animum tam parùm illis addictum habeant, ac si ea non possiderent.

2. obligat Christianum ad rescindendum, quidquid nimiam redolet vanitatem, quidquid modestiam offendit Christianam, veluti rem contrariam promissis, quas in Baptismate suo fecit, omnibus sæculi pompis renuntiandi.

3. virtus hæc Christianum obligat ad bene utendum suis bonis, ad sarcinendum abusum in ijs à se admissum, ad prævertenda pericula, quibus illa nos exponunt.

4. tantùm abesse debet, ut opes superbiam divitibus inspirent, uti plerùmque accidit, ut etiam demissè se gerere debeant, considerato statu suo, veluti statu statui Christi penitus opposito, qui pauper, & vixit, & obiit pauper, qui maledictione percussit divites bonis suis nimium addictos. Et quàm pauci inveniuntur, qui hoc malo non laborent? Denique dives formidare debet, idcirco, quòd status cupiditatis superbiæ, & mollitiei, indulgentiæ erga se, & duritiei erga alios, multaque salutis complectatur obstacula, ob occasiones, quas suppeditat, desideria, quæ generat, facultatem, quam præbet, im-

mo-



moderatas suas cupiditates sariandi. An <sup>Septembris.</sup> hac ratione statum tuum consideras, si dives es? id, si fieret, nã tam arrogans, & superbus haud fores.

III. Paupertas Evangelica obligat Religiosi Instituti sectatores. 1. ut nihil habeant tanquam proprium. Ut de nulla re disponant, nihil acceptent, nihilque donent absque Superiorum facultate. 2. Ut animum habeant à rebus, quorum usus ipsis conceditur, valde avulsum. Quàm enim probrosum esset homini Religioso, nugis, uti aliquoties contingit, ita additum esse, sicut mundi sectatores addicti sunt magnis bonis? hoc sanè est animo divitem esse, hoc est paupertatis difficultatibus premi, neque tamen ejus merito gaudere. 3. Ut in se, & supellectili sua rescindat, quidquid luxum, & vanitatem sapit. Elegantissimum hominis, & cubiculi Religiosi ornamentum est paupertas: quidquid ei adversatur, illud deforme reddit. 4. Ut non modò sine querimonijs, sed & cum gaudio perferat paupertatis effectus, felicem se reputans, quòd similitudinis cum paupere Christo aliquot habeat signa. Annon es ex ijs Religiosis, quorum conditio commodior est, quàm Sæcularium; & qui, cum divitiarum non habeant impe-

U

di-



September

dimenta, earum tamen commoda habere desiderant? estne hoc Christum pauperem imitari? & talis ad remunerationem pauperibus promissam aspirer?

*Percurre obligationes, conditioni tuæ proprias, quod ad paupertatem attinet, ut videas, quomodo eis satisfacias.*

Quoniam propter vos egenus factus est, ut illius inopia divites essetis. *2. Cor. 8. 9.*

Affatim dives est, qui cum Christo pauper est. *Hieron. Epist. 1.*

DIES XXV.

## De Missæ Sacrificio.

I.

**N**on potest esse Religio sine aliquo cultu, qui Deo exhibeatur; neque cultus perfectus absque sacrificio; nec sacrificium perfectum, nisi Deo offeratur victima Deo digna, id est, Homo-Deus, neque enim est, nisi Deus solus, qui sit victima Deo digna. Hoc Sacrificium oblatum est in monte Calvariæ, ubi Christus Homo-Deus gloriæ Patris sui se immolavit. Missæ Sacrificium istius est imago; sed imago, quæ id ipsum, quod exhibet, in se complectitur. Idem est Sacerdos, qui utrumque Sacrificium offert; eadem in utraque victima, nempe Christus Sacerdos non

vic



visibilis, cuius munere fungitur homo, qui non nisi ejus Minister est; ac proin non ut homo, sed ut Deus loquitur, cum dicit: *Hoc est Corpus meum.* Ipse est victima etiam, quæ offertur, nempe Corpus, & Sanguis Iesu Christi. Hæc duo Sacrificia eisdem habent fines, videlicet honorare Deum, ei pro peccatis nostris satisfacere, grates Deo agere de gratijs, quas ab eo accepimus. præterea eandem habent virtutem ea obrinendi, quibus nobis opus est. Sacrificium Crucis pro omnibus hominibus offertur: ipse est, inquit S. Joannes, *propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam totius mundi.* Sacerdos, inquit S. Io. Chrysostomus, dum Missæ Sacrificium offert, *pro universo terrarum orbe legatus intercedit, deprecatorque apud Deum.*

II. Si verò similitudo, quæ invenitur inter Crucis Sacrificium, & Sacrificium Missæ, excellentiam Sacrificij Missæ demonstrat, discrimen, quod in iisdem invenitur, eandem non minus manifestat. Primum est Sacrificium cruentum; quia victima, quæ offertur, per mortem, quam ipsa reapse subiit, & totius sanguinis sui effusionem, immolatur. Secundum est Sacrificium quoddam incruentum, cum vi-



September. Etima, quæ offertur, semper immoletur, semperque conservetur, ut offerri Deo semper queat. Hæc non moritur, nisi morte mystica, repræsentata per illam separationem, quæ per verba consecrationis corpus sub speciebus panis, & sanguinem sub vini speciebus constituit. Primum Sacrificium non offertur, nisi in monte Calvariæ. Secundum iuxta Malachiæ vaticinium in toto terrarum orbe offertur. Primum non nisi paucis horis duravit: secundum usque ad mundi finem manebit: propterea à Daniele *Iuge Sacrificium* appellatur.

Dan. 8. 11. In primo Sacrificio Iesu Christi Corpus, quod in Cruce fuit immolatum, dolori obnoxium, & mortale erat; in secundo impassibile, & immortale est. Quid majus, quid augustius, quid sanctius, quid formidabilius Sacrificio, quod tanta complectitur Mytheria? an id hactenus credidisti, vel concepisti? modus, quo Missæ Sacrificio adesse soles, contrarium sanè testatur.

III. Si Missæ Sacrificium tam excellens, & fructuosum est; Sequitur. I. Nihil tanti esse momenti, quod nos à lege Sacrum audiendi eximat, si eidem adesse possimus: an non in nos ipsos inimicitiam exercemus, si sponte magnis nos privemus fru-



fructibus, quos eidem assistendo colligere <sup>September,</sup> possumus, cum per illud Christi merita nobis applicentur? Sequitur 2. nos ei nunquam assistere posse cum sufficienti reverentia, si cogitemus Hominem-Deum, qui se Patri suo offert, ibi praesentem esse, pro nobis Patrem precari, & ut eum nobis propitium reddat, ibi se sistere cum victimam praereverentia in profundum nihili sese demergentem. SS. Angeli, qui, ut Divus Jo. Chrysostronus asserit, tremendo huic Mysterio assistunt, summam eidem reverentiam exhibent, & cum sancta quadam trepidatione interfunt: & nos terrae vermiculi, eò nos, ut videtur, conferimus Majestati divinae pro nobis in nihilum quodammodo redactae insultaturi. Sequitur denique 3. nos Missae Sacrificio interesse debere cum eo dolore, cum ea noxarum admissarum poenitudine, cum qua Sacrificio in monte Calvariae adfuisse-  
mus. Quales tunc animi nostri fuissent sensus ad aspectum tam miserandi spectaculi? conemur tales nunc concipere; vel potius sensus Beatissimae Virginis, & dilecti Discipuli. Verum, pro dolor! an non immodestijs nostris potius imitamur mores inimicorum Servatoris, qui ejus calamitatibus illudebant, & insultabant?



September. *Pete à Deo veniam ob exiguam pietatem, & reverentiam, qua hæctenus Missæ Sacrificio assististi.*

In omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. *Malach. 1. 11.*

Tu verò, cùm Sacerdotem videris offerentem, ne Sacerdotem considera hoc facientem, sed manum Dei invisibiliter extensam. *Chrysof.*

## DIES XXVI.

### De Præparatione ad S. Communionem.

#### I.

**D**avid populo ostensurus, quàm ardentè se parare, quantumque conferre ad Templi extructionem eum oporteret, ait: *Opus grande est: non enim homini præparatur habitatio, sed Deo.* Quantus igitur fervor noster esse debet ad S. Communionem nos parandi, in qua anima nostra modo quodam longè magis admirando templum, & sanctuarium fit Divinitatis. *Opus grande.* Estne majus quid in Religione nostra, quàm hæc occupatio? ut cognoscamus dispositiones, quibuscum ad Sacram Communionem accedendum, aliud necessarium

*1. Paral. 29.  
v. 1.*



rium non est, quam, ut quatuor eidem ad-  
 juncta consideremus. Quisnam est, qui  
 in hoc Sanctissimo Eucharistiæ Sacramen-  
 to venit? est Deus. Quantam is non exi-  
 git puritatem? ad quem venit? ad homi-  
 nem: quanta humilitate hominem istum  
 præditum esse non oportet? quomodo ve-  
 nit? ingentem patrando miraculorum nu-  
 merum: quanto fervore, quantis conatibus  
 ei non respondendum? Cur venit? ut sei-  
 psium nobis præbeat; quantam nobis fidu-  
 ciam hæc bonitas inspirare non debet? En  
 quatuor præcipuas ad S. Synaxim sumen-  
 dam dispositiones! Qui venit ad nos,  
 Deus est, Sanctus Sanctorum est: cum  
 quanta puritate, cum quanta sanctitate eum  
 excipere non debemus? homines Sanctissi-  
 mi immundos se reputabant, considerata  
 illius sanctitate, quem in S. Communione  
 essent sumpturi. S. Franciscus, terrestris  
 ille Seraphinus, non satis purum se credit,  
 qui ad sacerdotium admittatur. Quid igitur  
 de nobis peccatoribus sentiendum? *Sacerdo-*

*Levitici 21,  
 6.*

*tes, inquit Dominus in antiqua lege, offerre  
 debent panes propositionis: igitur Sancti erunt.*  
 Quenam igitur puritas, & sanctitas illorū  
 esse debet, qui toties panem vitæ sumunt?

II. Sed ad quem Deus hic tam grandis,  
 & sanctus venit? ad hominem. At quid

U 4

est



September' est homo? vilitas, imbecillitas, miseriam  
 & malitia ipsa. Quomodo Majestati Dei  
 cum hac vilitate, potentiae cum hac imbecillitate, felicitati cum hac miseria, ejus  
 sanctitati cum hac malitia convenire potest? annon lumen tenebris facilius sociarerur?  
 Humilitas sola hoc fædus facere, hæc sola miraculum istud patrare potest.  
 Hæc res sibi penitus oppositas conciliat; hæc longissimè inter se remotas rursus  
 conjungit, hæc omnia supplet. Ubi homo verè humilis est, non amplius est imbecillis,  
 miser, malus, sed digna Dei habitatio fit. Habitatne in cælo melius? fruaturne  
 ibi majori gaudio, quàm in corde sincerè humili? quò minus dignum me, Deum  
 meum sumendi, judico, eò dignior hoc sum honore. Sed quomodo Deus tantus,  
 & tam sanctus ad nos venit? faciendò prodigia tam inusitata, ut ea solus,  
 qui ea facit, comprehendere possit. Quare ratione respondere possumus ardenti desiderio,  
 quo Deus ad nos venire parat, magnis molitionibus, quas hunc in finem adhibet;  
 nisi ingenti fervore, qui nos animet ad omnes vires intendendas, ut dignè eum excipiamus?  
 sed quomodo nos, qui debiles, & impotentes sumus, sat virium habebimus,  
 nisi ipsemet nos, Domine, ad-



adjuves? neque enim suscipere te possumus sine te; & tu solus id dignè faciendi gratiam nobis conferre potes. September.

III. Sed cur Deus tantus, tamque sanctus ad me venit? propterea, ut infirmitatibus meis medeatur; propterea, ut ab omnibus malis me liberet; propterea, ut omnibus bonis me repleat; propterea, ut se ipsum mihi donet, meque sibi uniat. Possúmne dubitare, quin grandia misericordiae in animam meam exercendae consilia moliarur, cum videam tanta prodigia, ut ad me veniat, ab ipso patrari frustrane Deus infinite sapiens tanta miracula ederet, tantisque uteretur conatibus, nullo sibi proposito fine? possúmne de hoc dubitare post tot sponsones hac super re mihi factas; cum dixit, *eam, qui manducaverit ejus carnem, in ipso mansurum, & non nisi pro ipso victurum?* Et si hac de re dubitare non possum; possúmne incitamenta confidentiae meae majora desiderare? potéstne hæc mihi imponere fundamenta tam solida habenti? aperi mihi cor tuum, dicit Dominus, per vivam confidentiam, & implebo illud; eò usque favores meos extendam, quò usque tu spes tuas extendere poteris. Si cor tuum va-

*Dilata os  
tuum, & im-  
plebo illud.  
Psal. 80. 11.*



September, cum est, ideò contingit, quòd timore,  
& diffidentia tua illud Deo occluseris.

*Utere hac praxi, ut bene ad Sanctissimam  
Eucharistiam sumendam te prapares; & te-  
metipso quære: quis est, qui venit? ad quem  
venit? quomodo venit? quare venit?*

Opus namque grande est: neque enim  
homini præparatur habitatio; sed Deo.  
*I. Paral. 19. 24.*

Quo non oportet igitur esse puriorem  
tali fruentem Sacrificio. Linguam, quæ  
tremendo nimis sanguine rubescit. *Chry-  
sost.*

---

DIES XXVII.

De Fiducia in Meritis Iesu  
Christi.

I.

**M**erita Iesu Christi non minùs, quàm  
ejus satisfactiones, infinita sunt,  
plus, quàm abundantia sunt. Quanta hæc  
mihi fiduciæ causa? quemadmodum pec-  
catum erat malitiæ quodammodo infinitæ,  
quia invaserat Majestatem infinitam; sic  
non erat, nisi persona infinita, quæ pro  
peccato dignè satisfacere, & compensa-  
tionem offensæ parem offerre posset. Ho-  
mi-



mine-Deo opus erat ad farciendam in-September.  
 juriam Deo factam. Et hoc Christus præ-  
 stitit. Is, cum Deus esset, ac proin di-  
 gnitatis infinitæ, pro omnibus totius mun-  
 di peccatis, etiam minimo cordis sui mo-  
 tu satisfacere poterat: pati tamen voluit.  
 Si verò pati volebat, satisfacere levissimo  
 cruciatu poterat: sanguinem nihilominus  
 suum profundere voluit. Si verò profun-  
 dere sanguinem voluit, unica gutta suffi-  
 ciens erat: is tamen integros torrentes  
 profudit, & in Cruce mori voluit. Atque  
 sic compensatio ista non solum æqualis est  
 offensæ, sed eâ etiam superior: liquidem  
 offensâ planè finita est, & compensatio  
 reapse infinita: idcirco non modò suffi-  
 ciens, sed plus, quàm abundans est, ut  
 ait Apostolus: *ubi abundavit delictum, super-*  
*abundavit gratia.*

Rom. 5. 20.

II. Merita, & satisfactiones IESU Chri-  
 sti ad me pertinent, quantum hoc mihi  
 fiducia incitamentum! merita, & satisfac-  
 tiones Christi ad nos pertinent; cum ipse  
 caput nostrum sit, & nos ejusdem membra,  
 eique verè unita. Idcirco, sicut ipse, ceu  
 caput, omnium miseriarum nostrarum par-  
 ticeps est, ita omnia sua bona nobis com-  
 municat. Cum igitur Christo uniti simus;  
*vos autem Christi,* inquit Apostolus, *ejus*

quo-

I. Cor. 3.  
v. 22, & 23.



September. *quoque bona omnia vestra sunt.* Merita Iesu Christi ad nos pertinent; cum enim ipsi necessarium non sit, ut mereatur, vel satisfaciat pro se, omnia sua merita, & satisfactiones in nos transtulit. Ad nos denique ea pertinent; cum Pater æternus hanc translationem acceptarit; neque eam potuerit non acceptare; quandoquidem Christi merita nobis propria evadunt ob unionem, qua ipsi conjungimur, tum etiam, quia infinita sunt. Quanto gaudio perfunderetur homo multis gravatus debitis, Si Rex quidam dives juxta, ac potens ostensis ei omnibus thesauris suis diceret: *Hæc omnia ad te spectant: ego ea tibi dono?* quanta igitur lætitia nobis exultandum, cum nobis affirmatur, pretium sanguinis Dei, ejusque merita, & satisfactiones, quæ infiniti sunt valoris, ad nos spectare? quantam tum esse oportet confidentiam nostram?

III. Nostrum duntaxat est, infinita hæc Christi merita, & satisfactiones nobis applicare, & parto nobis jure uti. Egro quidam nihil prodest, præclara habere remedia, si ad ea manum extendere dedignatur. Nihil juvat hominem, grandes possidere thesauros, si ijs non fruatur. Quid nobis prodest habere remedium adversus omnia

ma.



mala tam efficax, ut est sanguis Christi, si September.  
eum nobis non applicemus? quid nos ju-  
vat fundum possidere inexhaustum in me-  
ritis Christi, si hoc fundo ad expungenda  
nostra debita non utamur? At qua ratione  
Christi merita applicare nobis possumus,  
nisi per vivam fiduciam, & qui confiden-  
tia ista deficere nos potest, si consideremus  
profusissimam bonitatem, & benignita-  
tem Hominis-Dei erga mortales, & amo-  
rem illum immensum, qui eum coëgit in  
cruce mori? si consideremus meritorum,  
& satisfactionum ipsius valorem, ipsius  
charitatem, liberalitatēque omnia sua  
sua nobis tribuentem cum potestate eo-  
rum nobis applicandi pretium? si verò  
hanc in Christi meritis confidentiam ha-  
bemus, estne gratia, quam à Patre æterno  
sperandi jus non habeamus, si eam per  
merita filij ipsius flagitemus? estne ali-  
quid, quod negare nobis possit?

*Quantumcunque miser peccator sis, noli ani-  
mum abijcere, cum in meritis, & satisfactio-  
bus Christi spem habeas ex omnibus miserijs e-  
mergendi.*

Divites facti estis in Christo, ita, ut ni-  
hil vobis desit in ulla gratia. 1. Cor. 1,

cap. 5. & 7.

Mul.



September. Multum est, quod mea meretur iniquitas; longè majus est, quod mei Redemptoris reposcit pietas: magna est mea injustitia; verùm major Redemptoris justitia. *Aug.*

---

DIES XXVIII.

De Præsentia Dei.

I.

**D**Eus semper est coram me, Deus semper mecum est, & semper intra me est. Semper est ante me, semper me intuetur, semper de me cogitat, semper etiam propter me occupatur, quasi præter me in terrarum orbe nemo foret. Semper est ante me; ego igitur coram ipso semper esse, & continuo dicere cum Propheta debeo: *vivit Dominus exercituum, in cujus conspectu sto.* Quanta cum reverentia, vel potius, quanto cum timore coram tanta Majestate versari debeo? quomodo coram Deo id audeam agere, quod agere coram hominibus non auderem? Deus me semper intuetur; an non in omnibus meis actionibus ipsum intueri debeo? an non ipse earum finis esse debet, sicut earum est principium? ipse de me semper cogitat. Heu me! quàm ingratus

4 Reg. 3. 14



rus sū, qui semper istius imemor sum. Deus <sup>Septembes.</sup>  
adeo mihi attentus, & propter me occupa-  
tus est, quasi nihil præter me in mundo esset,  
Et ego tam cæcus sū, ut mundo, mihi met-  
ipso, & sexcentis nugis me penitus imergā,  
Deo meo neglecto, ac si eum ignorarē, vel  
eū existere non crederem. Homo, qui Deum  
cognoscit, qui divinis occupatur, nihili du-  
cit, quidquid Deus non est, itaq; vivit, quasi  
præter Deum, & ipsū nihil in mundo esset.

II. Deus mecum est; sed modo efficaci.  
Mecum est, ut me adjuvet, ut me susten-  
tet, ut mecum agat, ut mecum laboret: si-  
ne ipso nihil possum; cum ipso omnia pos-  
sum. Non possum vel minimum exer-  
cere motum, nec minimum concipere  
desiderium, nec minimam exercere  
actionem, si suo mihi non adsit concursu:  
sed hunc mihi præstare nunquam intermit-  
tit, etiamsi eum offendere velim. Quanta  
indulgentia! an eā abuti me decet? cum ve-  
rò ipse propensionibus meis se accomodat,  
voluntatiq; meæ subijciat, annon ratio-  
ni consentaneum est, ut & ego ipsius me  
voluntati subijciam? si ipse mecum semper  
concurrit, an non æquum est, ut operam  
meam ipsi jungam. Is non solummodo  
mecum, sed etiam cum omnibus creaturis  
propter me agit; cum lucet per solem, cum



**September.** refrigerat per aërem, cum per ignem calefacit. An non igitur injustus essem, si hisce creaturis non unice ad ipsius gloriam uterer? imò, annon ingratus forem, si obsequijs, quæ illæ mihi præstant, ad ipsum offendendum abuterer; quo jubente, hæc ab ipsis obsequia præstantur?

III. Deus est in me, & ego in ipso. Is magis mihi inest, quam anima mea corpori meo. Anima mea à corpore separari, & subsistere potest; sed à Deo separari non potest: desineret enim esse, nisi Deus in ipsa, nec ipsa in Deo esset. Hujus rei testimonia non longè petenda, inquietat

*ad. 17. 28.* Apostolus: *in ipso enim sumus, in ipso vivimus.* & ipse in nobis est, & in nobis vivit. Omnes tres Sanctissimæ Trinitatis personæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus in me sunt. Pater in me Filium suum generat, Pater & Filius in me Spiritum Sanctum producant. In quem igitur referenda culpa est, quod anima mea Paradisus cælestis non sit? nec dubitandum, quin ea propter Servator dixerit: *Regnum Dei intra vos est.* Itaque Pater in me est per suam potentiam, ut me sustentet. Filius, ut sapientiæ suæ lumine me illustret; Spiritus Sanctus, ut ardoribus charitatis suæ me inflammet. Et nihilominus ego debilis sum, cæcus sum,  
me.



mera glacies sum. Verum tres Personæ September  
Sanctissimæ Triados in justis modo sunt pe-  
culiari juxta Christi effatum: *si quis diligit me, Joan. 14.*


*Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Sed Deus modo adhuc magis admirando in animabus

Sanctorum est: ibi enim moratur per impressionem Majestatis suæ, per communicationem Sanctitatis suæ, per effusionem Bonitatis suæ in multitudine gratiarum, quibus eos cumulat. Plerisque Christianorum dici potest, quod S. Joannes Judæis dicebat: *medius vestrum stetit, quem vos nescitis.* Nam quid aliunde quærere potestis, cum habeatis in vobis eum, qui omnia bona possidet?

*Assuesce intueri Deum in te: hoc enim est facillimum, & solidissimum Præsentia divinae exercitium.*

In ipso enim vivimus, & movemur, & sumus. *Act. 17. 28.*

Propinquior est nobis Deus, qui fecit, quàm multa, quæ facta sunt: in illo enim vivimus, movemur, & sumus. *Aug.*




X

DIES



September.



## DIES XXIX.

IESUS CHRISTUS EST PERFECTUS AMICUS.

## I.

**N**OMEN amici hominum Christo tribuere non auderemus, cum etiam Reges terræ id infra se positum arbitrentur, nisi ipsemet hunc titulum ambiisset, dum homines amicos suos appellavit. Hinc Apostolos alloquens ait, se eos non fervorum, mancipiorumque, sed verorum loco amicorum habere, quibus animum suum aperiat, nullumque eis arcanum celer sibi à Patre communicatum. S. Joannem vocat amicum sponsi; atque, ut nobis indicet, se non modò Præcursores, vel Apostolos suos nomine tam glorioso dignari, asserit, se omnes illos inter amicos suos numerare, qui mandata sua custodiunt. Utrum magis admirandum, an videre benignitatem Dei eo usque se demittentis, ut hominem amicitiam suam dignari cupiat; an verò hominis ingratorum, stupidumque animum, qui tam felici sorte non movetur? mereor profectò, Servator mi, ut hostis à te tractari, nisi te vicissim amando, dignum me reddam honore, quo me afficis, dum me amicum tuum esse cupis.

II. Ve-

*De amici  
mei estis, si  
feceritis, quia  
ego precipio  
vobis. 13.*

15.



II. Verum, quemadmodum Christus amici nostri in se munus suscipit, sic omnes ejus partes perfectè implet; cum sit amicus generosus, fidelis, & constans. Generositatem amicitiae suae demonstrat, dum amicis suis, hominibus videlicet, quietem, gaudiũ, delicias, gloriam, & ipsam vitam suam lubens consecrat, gravissima mala ei levia, imò suavia videntur; modò nos amicitiae suae convincat. Fidelitatem suam testatam facit, dum nihil eorum, quae amicitiae leges exigunt, intermittit; is enim in afflictionibus nostris nos consolatur, in necessitatibus nobis succurrit, gratijs suis nobis assistit, & omnium suorum bonorum nos participes reddit. Denique est amicus constans; quandoquidem, licet ignavos, imò & infidos nos ei praestemus, animum tamen suum à nobis non avertit, neque etiam tunc nos deserit, cum à nobis deseritur, imò neq; tunc; ubi optimi nostri, & intimi amici à nobis recedunt, quod in mortis articulo contingit. Si invenis amicum aequè generosum, aequè fidelem, aequè constantem, haud graviter fert, si illi te addicas. At ubi talem invenies? & si talem non modò non invenis, qui ipsi sit aequalis, sed nec ipsi comparari possit; cur non facis tibi Iesum, optimum, vel potiùs, unicum amicum?



September.

III. Magna mihi gratia accidisset mi Seruator, si ad amicitiam tuam aspirare mihi licuisset; quin & felicissimum aestimare me debuisset, si eam sexcentis curis, & laboribus fuisset promeritus; si eam bonorum meorum, sanguinis, & vitæ meæ jacturâ comparâssem; tu verò, non tantum ad amicitiam tuam adspirare me permittis, sed etiam prævenis illam mihi offerendo, meamque vicissim cum tanto, tamque ardenti desiderio postulas, quasi felicitas tua ex illa penderet: neque contentus eam à me petere, eam sanguinis tui, quem ad ultimam usque guttam profundis, impendio emere non horres: cur, mi Iesu, amicitiam quæris creaturæ, quæ ex seipsa nihil habuit, quæ non nisi odio, & contemptu tuo digna erat, & ad felicitatem tuam conferre nihil, & tam parum ad gloriam tuam poterat? & ego reijciam desideria tua, & contempnam amicitiam Hominis-Dei, qui solus reddere & perfectum, & summè felicem me potest? Ne permittas hoc, mi Iesu; sed cura, ut si ego hanc amicitiam mereri non potui, quam mihi tam clementer offers, coner saltem eam me dignum reddere eidem perfectè respondendo, nempe per amicitiam erga te generosam, fidelem, & constantem.

*Statue eligere IESUM unicum, vel certè principium amicum tuum.*

Jam



Jam non dicam vos servos. Vos autem September.  
dixi amicos; quia omnia, quaecunque acce-  
pi à Patre, nota feci vobis. *Io. 15. v. 14.*  
& 15.

Amicus Christi, si volo, nunc fio. *Aug.*

---

DIES XXX.

De Æternitate Dei.

I.

**D**Eus est æternus, nec unquam esse coe-  
pit, nec unquam esse cessabit; cum sit  
is, qui est. *Ego sum, qui sum.* Hoc est: *Exod. 3. 14.*  
subsistit per seipsum, nec ab ulla alia natu-  
ra pender: atque ita est natura necessaria;  
ac proin immutabilis, cum ipsius essentia  
(ut cum Scholis loquar) ab ejus existentia  
non distinguatur. Est ante omnia tem-  
pora. Est in tempore, sed tempus ipsius  
mensura non est. Omnia tempora in æ-  
ternitate sua comprehendit; sed illis non  
comprehenditur; per ipsum omnia inci-  
piunt; & ipse nunquam incipit; per ipsum  
omnia progrediuntur, & ipse nunquam  
progreditur; per ipsum omnia prætereunt,  
& ipse nunquam præterit; per ipsum o-  
mnia finiuntur, & ipse nunquam finitur:  
Æternitati Dei nihil est præteritum, futu-

X 3 rum



September.

*Nihil autem  
præterit in  
æterno, ni-  
hil futurum  
est, æternitas  
sanctissimo  
dō est. Aug.*

Psal. 101.

27.

1. Cor. 7. 31.

Psal. 101.

27.

rum nihil; sed omnia præsentia, cum Deus semper sit, qui est: *Cæli*, inquit Propheta, licet incorruptibiles videantur, peribunt: tu autem, Domine, in æternum permanes, & non mutaberis. Æternitas Dei, est veluti rupes firma, & inconcussa. Tempus est veluti torrens, qui ad pedem hujus rupis alliditur, & secum omnia trahit, cum ipse cursus sui rapiditate tractus, nascens, & periens perpetuò, faciat, ut omnia secum nascantur, & pereant. Præterit enim figura hujus mundi. Quicumque mundo adhærent, cum ipso prætereunt: sed, tu, mi Deus, nunquam præteris. *Ipsi peribunt, tu autem permanes*, quia æternus es; nec illi, qui tibi adhærent, peribunt unquam.

II. Æternitas Dei suppeditat nobis plures, magnas, & perquam salutares veritates ad vitam nostram rectè instituendam. Si Deus est æternus, tum est immutabilis, & proin semper æqualiter pulcher, æqualiter bonus, æqualiter perfectus; atque idcirco æqualiter semper amabilis. Qui igitur sit, ut meus in ipsum amor adeò mutabilis, & inconstans sit? is semper idem est erga me; cur igitur erga ipsum idem non semper ero? si Deus est æternus, tunc firmus, & immutabilis est: ei igitur adhærere me oportet. *Qui*

Psal. 72.

P. 28.

ad-



adhæret immobili, inquit S. Augustinus, non Septembri,  
mouetur: Væ his, qui hæserint transeuntibus;  
quoniam simul transeunt. Felix ille, qui cum  
Propheta dicit: mihi autem adhærere Deo  
bonum est; ponere in Deo spem meam.  
Si Deus est æternus, tunc ejus quoque re-  
munerationes æternæ sunt. An non igi-  
tur res felicitate plena est, servire Deo, cu-  
jus remunerationes non magis, quam ipse  
finem sortiri possunt? si Principibus, & Re-  
gibus servio, si eorum favore fruor, Prin-  
cipes, & Reges, & cum ipsis eorum favor,  
omniaque, quæ ab illis mihi obveniunt, e-  
vanescunt. Quantumcunque ij sublimes  
sint, corruent, & qui illis nituntur, cum ijs  
cadent.

III. Verùm ad te, Domine, quod atti-  
ner, cujus Majestas inconcusso æternitatis  
fundamento nixa est, evanescere, & cade-  
re æquè parùm potes, ac remunerationes,  
quas polliceris illis, qui tibi seruiunt. Æter-  
nitas est pretium, quod minimis eorum la-  
boribus tribuis. At quænam æternitas?  
æternitas, quæ est interminabilis vitæ tota simul,  
& perfecta possessio. Quanta felicitas! quan-  
tâ remuneratio! damnati, inquit Tertul-  
lianus, quovis momento totum æternitatis  
pondus sustinent. Et Beati quovis momen-  
to fruuntur omni æternitatis felicitate. Tota

Boetius,

si-



September. *simul, & perfecta possessio.* Anne Deus minori pollet ingenio ad remunerandum, quàm ad puniendum? Deus est æternus, & supplicia æquè, ac remunerationes, æterna erunt. Quis igitur Deum offendere non vereatur, qui vindictas ad æternitatem usque extendere potest? *nolite timere eos,*

*Luc. 12. 5.*

*inquit Servator, qui occidunt corpus; animam autem non possunt occidere: sed potius timete eos, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam. Dico vobis: hunc timete.* Conquerimur aliquoties de patientia Dei in tolerandis peccatoribus. Non est patiens, inquit Tertullianus, nisi quia æternus est: *patiens, quia æternus.* Lenitati patientiæ suæ substituit pœnarum æternitatem, quam destinat ijs, qui patientiâ abutuntur. Verere igitur patientiam Dei, quia non minùs tibi formidanda est, si eâ abutaris, quàm ejus justitia.

*Statue soli Deo adherere, cum præter ipsum nihil sit æternum, & cujus pœnæ, & remunerationes æternæ sunt.*

Dies mei sicut umbra declinaverunt; tu autem, Domine, in æternum permanes, *Psal. 101. 12. & 13.*

Junge cor tuum æternitati Dei; & cum illo æternus eris. *Aug. in Psal.*

**Finis Tertij Trimestris.**

**In.**





# I N D E X,

## Cogitationum,

vel

### Considerationum Christianarum pro Dominicis Anni.

- D**ominica 4. post Pentecosten. *De*  
*Confidentia in Providentia Dei.* 27. Julij.
- Dominica 5. post Pentecosten. *De vera*  
*& falsa pietate.* 21. Augusti.
- Dominica 6. post Pent. *De Confidentia in*  
*Providentia Divina.* 27. Julij.
- Dominica 7. post Pent. *De salutis deside-*  
*rio.* 7. Aug.
- Dominica 8. post Pent. *De praecepto Eleē-*  
*mesynæ.* 17. Julij.
- Dominica 9. post Pent. *De abusu gratia-*  
*rum.* 28. Augusti.
- Dominica 10. post Pent. *De humilitate.*  
20. Aug.
- Dominica 11. post Pent. *De necessitate*  
*orationis.* 17. Aug.
- X
- De-



Index

Dominica 12. post Pent.	De amore Christi.	30. Aug.
	Vel de amore proximi.	33. Sept.
Dominica 13. post Pent.	De remedijs contra libidinem.	11. Aug.
Dominica 14. post Pent.	Nemo potest duobus dominis servire.	4. Aug.
	Vel de Confidentia in providentia Dei.	27. Iulij.
Dominica 15. post Pent.	De morte inopinata.	6. Septemb.
Dominica 16. post Pent.	De remedijs Avaritie.	13. Iulij.
Dominica 17. post Pent.	Religionem Christianam solam veram esse.	3. Aug.
Dominica 18. post Pent.	De Confidentia in meritis Christi.	27. Sept.

**F I N I S.**  
Indicis voluminis Tertij.







Chri-  
o. Aug.  
. Sept.  
ijs con-  
. Aug.  
est duo-  
Aug.  
i. 27.  
Iulij.  
inopi-  
remb.  
ijs Ava-  
. Iulij.  
Chri-  
. Aug.  
entia in  
Sept.

rij.














































Th<sub>3</sub>  
4505